



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN


Universitätsbibliothek Paderborn

**De Præstantia Gratiae Dei & Felicitate Hominis eâ donati
Considerationes XXXVII.**

Lamparter, Heinrich

Monachii, 1657


[urn:nbn:de:hbz:466:1-46645](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46645)




Th. 27 49.

9. III

20.





DE
PRÆSTANTIA
GRATIÆ DEI

et

FELICITATE HOMINIS
eâ donati

CONSIDERATIONES
XXXVII.

AUCTORE

HENRICO LAMPARTER
Soc: Jesu Theologo.

locus Jesu Paderb.
1661

Cum facultate Superiorum, & Privilegio.

MONACHII,

Sumptibus JOANNIS WAGNER
Bibliopolæ.

Typis LVCÆ STRAUB.


ANNO MDC. L. I

Maxima & pretiosa nobis pro-
missa donauit, ut per hac ef-
ficiamini Diuinae consortes Na-
tura; fugientes eius, quæ in
mundo est, concupiscen-
tiæ corruptionem.

2. Petri 1.

NOBILI ET CLARIS-
SIMO DOMINO
ELIÆ STAV-
DACHER

Domino suo Colendissimo
S. D.

 M O S in vanita-
tis foro ac nun-
dinis vendunt,
qui etiam gratis humanæ
cupiditati humanam gra-
tiam, vt solidum bonum,
obtrudunt : nihil enim
aut ad mentis tranquillita-
tem, quam plerique mor-
talium in aliorum animis,
ceu alieno nido, falsò si-
tam esse, sibi persuadent,

A 2

aut

EPISTOLA

aut ad supremum salutis
negotium, fauor aut gra-
tia Regum ac Monarcha-
rum conducit. Ad quam
tamen, vt Pharum, ex ob-
scuro mancipia vanitatis
respiciunt, in lucem emer-
sura; sed cuius fumus &
oculis tristes aliquando la-
crimas eliciat. Tanti hæc
nebula, quæ ab igne pror-
sus fatuo se attollit, à plu-
rimis habetur; vt, quibus
permisum est, esse dici-
que in aulis Principum
gratiosos, hanc vocem &
fortunam quouis æternæ
salu-

DEDICATORIA.

salutis impendio emen-
dam sibi putent, séque
Moyse ac Salomone bea-
tiores existiment, quibus
in Diuinâ caligine loqui
& agere cum Deo conces-
sum fuit. At meminerint,
hunc ipsum in viridi ac-
censum ignem plûs fumi,
quàm lucis habere: quòd
si quid caloris ab amore
vtrunque sincero in clien-
tes magnatum deriuetur;
timendum esse, ne aut is
ipse calor, in subitanea
mentis abalienatæ nube,
fulmen coquat; aut lux,

A 3

quæ

EPISTOLA

quæ gratiosis Principum
 asseclis affulgere visa est,
 vapores animis offundat,
 quibus ab intuitu verioris
 boni abstrahuntur: vt illis
 vsu venit, qui per nebulam
 res oculis tam è vicino
 quàm procùl obiectas,
 nunquam fideli obtutu
 internoscunt.

Hos fumos, si Tibi, Vir
 Clarissime, vendere para-
 rem, aut gratuitò etiam
 offerre, iure posses in me
 idem supplicium statue-
 re; quo Alexander Seuerus
 Imperator Thurinum Ver-
 conium

DEDICATORIA.

conium iussit olim è medio tolli: quippe, vt poëna sceleri responderet, quia fumos Imperatori, ac Romano Populo vendidisset, enecari fumo vanissimum mercatorem præcepit.

At ego non ignem, vanitatis aliquâ nube infectum, sed innubem, ac prorsus cælestem Tibi, Vir Clarissime, orbique Christiano vendo ac dedico: & omnino talem, qualem Philosophi in suprema elementorum sede constituunt; qui, quòd in pa-

EPISTOLA

trio cælo sponte mansu-
 rus, nullis alimentis (vn-
 de apud nos fumus) indi-
 geat; absque vlla obscuri
 halitûs mixtura, serenissi-
 ma luce totam illam re-
 gionē illustrat. Talis Gra-
 tia cælestis est, quam Au-
 ctor huius operis in lucem
 emittit, & suo pretio &
 tractantis peritiâ luce di-
 gnissimam: ad quam vti-
 nam non multi mortales
 caligent; atque cum ve-
 spertilionibus in tenebra-
 rum operibus oculati, ad
 diurnam diuinâmq; lu-
 cem

DEDICATORIA:

cem cæcutiant ! Hanc in
cælis accensam lampa-
dem, ac Vestalium virgi-
num (quibus nefas erat,
aliter quàm à sole accen-
sum ignem alere) Phœbeâ
facem illies clariorem, cui
alteri quàm Eliæ dicarem ?
monuit enim me Hebræus
ille Elias , prodigiosâ ad
cælos aurigatione celebris,
ne in Mecœnatis delectu
ab Eliâ discederem : vt
enim ille cælesti ac ignito
curru sublimis, mortaliū
oculis fuit ereptus, ac nulli
eiusque cognitum tenta-

A 5 tūm-

EPISTOLA

tūmq̃ue iter versus astra
 suscepit : ita sanè cupio,
 voueóque, vt Gratia, quæ
 gratū Deo facit, Eliæ cur-
 rui per omnia similis, Te
 Eliam, seu operis tam pij
 lectione, seu perenni Gra-
 tiæ Diuinæ conciliandæ
 studio, ab infimis in cæli
 amorē & conuexa sustol-
 lat. Quin, si Thomas Kem-
 pensis vtiq; sapienter ean-
 dem Gratia equo compa-
 rauit, dum ait: *suauiter equi-
 tat, quem Gratia Dei portat: fe-
 licio rem Te facio; si Gra-
 tiæ Diuinæ beneficio non*
 vnus

DEDICATORIA.

vnus Te Asturco, sed quadriga, æthereis iugalibus instructa, faciat orbe nostro sublimiorē: vnde discas inferiora hæc omnia, situ & animo despicere.

Munus igitur, vt à me & prælo profectum Tibi literarum ac librorum studiosissimo dicatum volo, quod cælesti maximoque munere & Auctoris calamo, deniq; meo in Te studio ac propensissima voluntate ornatū, maiori gratia in manus fumes: quòd Tibi, Superis, ac mortali-

A 6 tali-

EPISTOLA DEDICAT.
talibus vitæ integerrimè
actæ merito & famâ gra-
tioso, liber hic, de Gratia
exaratus, non possit non
esse gratiofus. Operæ meæ
atque conatûs pretium id
erit summum; si post vi-
tæ huius superata fastidia,
olim tecum eodem gratiæ
curru cum Elia ad Eliam
euehar: id quod Tibi, Le-
ctori, mihi precor. Mo-
nachij. Kalendis Martijs.
M. DC. LI.

*Nobili & Clariss^{ma} D^{oni} tuæ
deditissimus*

JOANNES WAGNER
Bibliopola.

AD LECTOREM.



VMANISSIME Lector, si te docerem hoc libello de plumbo vertendo in aurum, è Philosophia Bombasti; vel de modo fabricandi sibi fortunam, ex adytis Baconi; gratum haberes, opinor, sæpiusque relegeres: quia alterum prodesset ad leuandam pauperiem, quam diram nobis bella fecerunt; alterum ad satisfaciendum communi omnium voto. Nam vnusquisque cupit res suas in eum statum perducere, in quo habeat copiam commoditatēque bene ac beatè viuendi: quam Fortunam vocamus: estque ipsissima Ratio Status, cuius priuatim, ac publicè cura est maxima, ferè tamen continetur ambitu rerum externarum, ac temporalium; neglectâ, cui alia omnia militare debuerant, Gratiâ Dei: quæ sola humilem nostram conditionem euehit in eum statum, in quo verorum bonorum copia suppetit, ac supra inuidiam & violentiam positi,

AD LECTOREM.

non habent, quod metuant, nisi hoc, ne velint ipsi ex eo statu descendere. Gratia Dei est, quo tinctum plumbum actionum nostrarum, abit in aurum purissimum. Gratiam Filius Dei sanguine suo comparandam nobis putavit. Nihil ergo illâ potest esse præstantius. Vt meritò S. Augustinus lib. ad Bonifacium cap. 6. dixerit, eam non solum omnia sidera, & omnes cælos; verum etiam omnem Angelorum naturam supergredi. & S. Thomas, maius bonum esse Gratiam vnius, omnibus bonis totius vniuersi.

Et huius tamen rei tam pretiosæ, tamque diuinæ plerique homines rationem adeò exiguam habent, vt eam leuissimæ sæpe voluptati postponant, & explendi vnius desiderij causâ, rem tota rerum natura meliorem corrumpant. Sanè si quem Deus totius cæli ac terræ dominum faceret, ornaretque sapientia, nobilitate ac potentia supremæ omnium, quæ est inter Angelicas Legiones, naturæ, tantum ei non daret,

AD LECTOREM.

daret, quanti est minimum granum
Gratiæ, quæ Sanctos, ac Dei amicos
nos facit. Et inuenitur tamen non vnus
adeò demens, sed plurimi passim, qui
rem tam excellentem cum vilissimis
quibusque, imò & nefandis commu-
tent. Si quis cupiditati alicui suæ ali-
ter litare non posset, quàm vt extin-
gueretur Sol, magna stellarum pars
aboleretur, arescerent omnes arbores,
permiscerentur elementa, & commo-
ueretur tota rerum natura, vim vtique
faceret genio suo, & cupiditatem fre-
naret. Atqui Gratiæ Diuinæ lucem ex-
tingui in anima hominis, longè maius
est, & siccis id oculis videmus quoti-
die. Si morerentur simul omnia anima-
lia, siccarentur fontes & flumina, ciui-
tates corruerent, quomodo nos hæc af-
ficerent? Longè maiora quotidie fiunt;
passim proijcitur id, quod melius est
toto mundo, quamuis gemmeus esset.
Amittitur cum Gratiâ communicata
Diuinitas, perit Charitas regina virtu-
tum, intereunt à Deo infusæ vires ac
dona

AD LECTOREM.

Dona Spiritus Sancti, fugatur ipsemet Spiritus Sanctus, rumpitur amicitia Dei, prodigitur Ius regni cælestis, omnia merita vitæ prioris, omnis fructus diuinorum Sacramentorum totâ vitâ collectus, amittitur Deus ipse, & quidquid potest amitti: neque tamen hæc videntes mœrore tabescimus, non sanguineo sudore diffluimus, non liquimur toti in lacrimas! Ieremias Propheta pro vnius vrbs excidio quantum lamentationum profudit? Amici Iob calamitatibus attoniti, septem diebus illi assederunt elingues. Heli capta Arca Domini subito corruit exanimis: similiter Nicolaus V. Pontifex amisâ Constantinopoli, Benedictus I. audita strage, quam Longobardi fecerant in Italia. Parùm, imò nihil est vnius Pro-
uinciæ, vnius ciuitatis, vnius regis euer-
sio, strages & vastatio, si conferatur
cum perditione Gratia Dei. Quid est
ergo, quòd eâ iacturâ tam parùm per-
cellimur?

Causa torporis est, quòd non satis
intel-

AD LECTOREM.

intelligamus, quantum in Gratia Dei sit boni. Nam tametsi Mens id, per Fidem, & asseuerationem Diuinam, certò cognòrit; imaginatio tamen, impleta specie præsentium, vt apparent, bonorum, colludit affectibus, qui toti sunt abiecti ad ea, quæ sensus perstringunt; & sic Mens deserta succumbit. Vnicum ergo remedium, vt phantasia, derelictis affectibus, in partes Rationis concedat. Quod tum futurum est, si quàm luculentissimè proponatur excellentia Gratiæ. Quod, quia non nisi Diuinâ ipsius Spiritûs Sancti eloquentiâ, pro dignitate rei, fieri potest; placuit hoc Libello saltem initia suggerere, quorum considerationi intentis occurrant hoc ipso suauiora, & efficaciora, quòd suæ sibi Mentis acie illa inuenerint, atque perspexerint; quibus vbi cæleste Lumen affusum, ampliora, meliorâque monstrârit, ac diuinis coloribus exornârit, non poterit non maximus, ac dulcissimus animi sensus, de diuino hoc Gratiæ dono, existere.

Quæ

AD LECTOREM.

Quæ dum cogito, venit in manus, eadem de re copiosum, & præclarum volumen, quod edidit Hispanicâ linguâ P. Eusebius Nierembergius. Eo (ne furti me quis arguat) ita sum usus, ut meas ex ipso cogitationes plurimum locupletarem: volui enim licere mihi, quod Latinis Ecclesiæ Doctoribus licuit in scriptis Patrum Græcorum, ut facerent sua.

Primis itaque Considerationibus indico, quàm Magnum sit Gratiæ donum, proximis quàm Admirabile, spectatis eius effectibus: ut animus cupiditate accensus ad ipsam postea Gratiæ naturam, quasi latentem thesaurum, peruestigandam & contemplandam deueniat: eaque percepta cum gaudio, videat, quid ex his tandem omnibus agendum sibi decernat.

Occurrent hinc inde sublimia quædam: sed ita res ipsa ferebat, ac par erat etiam doctioribus aliqua tribui, dum ceteris, quo pascantur non deest. Ego omnia iudicio S. Matris Ecclesiæ, qua decet humilitate, submitto.

IN.

INDEX CONSIDERATIONVM.

I. *Gratiam Dei quanti fecerint Sancti.*

II. *Quanti Gratiam Dei faciant Angeli.*

III. *Quanti Deus ipse faciat Gratiam suam.*

IV. *Gratiam Diuinam humane longè præstare.*

V. *Gratiam Dei longè præstare lumini, sensibilibus rerum pulcherrimæ.*

VI. *Gratiam esse præstantiorem toto mundo, & ipsâ etiam animâ hominis.*

VII. *Gratiam esse præstantiorem omnibus Angelis, & miraculis, & ipsâ beatitudine.*

INDEX

VIII. *Potiores esse Gratiam
quacunque propinquitate
Christi, etiam Matris.*

IX. *Ut Gratia subito aboleretur
peccata.*

X. *Gratiam esse vitam animæ.*

XI. *Animam Gratiâ Dei pul-
chram fieri.*

XII. *Gratiam rapere Deum in
sui amorem.*

XIII. *Amicos Dei fieri per
Gratiam.*

XIV. *Animas Deo desponsari
per Gratiam.*

XV. *Gratiâ filios Dei fieri.*

XVI. *Gratiam facere, ut ho-
mo sit Templum Dei.*

XVII.

CONSIDERATIONVM.

XVII. *Per Gratiam fieri nos
unum cum Deo.*

XVIII. *Gratiam facere do-
minos omnium rerum.*

XIX. *Ex Gratia oriri Chari-
tatem in anima.*

XX. *Gratie coherere omnes
virtutes.*

XXI. *Gratiam comitari se-
ptem dona Spiritus Sancti.*

XXII. *Cum Gratia conferri
animæ mirabile robur.*

XXIII. *Gratie addi copiam
auxiliorum celestium.*

XXIV. *Gratia Dei præditis
assistere multos Angelos.*

XXV. *Operibus iustorum à Gra-
tia*

INDEX

*tia tribui ingentem valo-
rem.*

XXVI. *De admirabili com-
munionē Sanctorum, quam
Gratia facit.*

XXVII. *Cum Gratia dari
etiam bona temporalia.*

XXVIII. *Cum Gratia bea-
titudinem, qualis in hac vi-
ta potest, haberi.*

XXIX. *Gratiam esse partici-
pationem Naturæ Diuinæ.*

XXX. *De prima participatio-
ne Naturæ Diuinæ per Gra-
tiam.*

XXXI. *De secunda.*

XXXII. *De tertia.*

XXXIII.

CONSIDERATIONVM.

XXXIII. *Participationem
Naturæ Diuinæ per Gra-
tiam, esse quasi naturalem,
& infinitam.*

XXXIV. *Statum hominis,
Gratiâ carentis, miserrimum
esse.*

XXXV. *De modis acquiren-
dæ, seruandæ, augendæ Gra-
tiæ Dei.*

XXXVI. *De signis Gratiæ
præsentis, & Perseuerantiæ.*

XXXVII. *De sublimitate
& magnitudine animi hu-
mani oriundâ ex Gratiâ.*

Appro.


Approbatio R. P. Prouin-
cialis cum Priuilegio Cæ-
sareo.

CONSIDERATIONES XXXVII. de
Præstantia Gratię Dei & felicitate
hominis eā donati, conscriptas à P.
Henrico Lamparter Societatis IESV, cū
deputati Patres censuerint atque probaue-
runt: Ego Christophorus Schorrer So-
cietatis IESV per Germaniam Superiorem
Præpositus Prouincialis, factā potestate ab
Admodū R. P. N. Francisco Piccolomineo
Præposito Generali typis mandari permitto.
Potestatem insuper Ioanni Wagner Bibliop-
ola Monacensi facio, sus Cæsarei Priuilegij
vsurpandi, quō Typographus & Bibliopolis
omnibus facultas adimuitur, vulgatos à So-
cietatis IESV Patribus libros citra Supe-
riorum, Auctorumque consensum recu-
dendi, aut intra S. R. Imperij ac Prouin-
ciarum Sacr. Cæs. Maiest. hereditario iure
subiectarum fines importandi. In cuius rei
fidem Chirographum hoc dedi, Officii mei
sigillo munitum. Monachij 12. Decemb.
Anno CIO. IOC. L.

Christophorus Schorrer.

I
DE PRÆSTANTIA
GRATIÆ DEI.
CONSIDERATIO I.

*Gratiam Dei quanti fecerint
Sancti.*

I.  VINCTVM. *Viinam di-*
rumperes celos, & descen-
deres: à facie tua montes
defluerent; sicut exustio
ignis tabescerent: aqua ar-

derent igni! Isa. 64. Quanti fecerit Euan-
gelicus hic, idémque regius propheta
Gratiã Dei, significauit his verbis, ple-
nis piã impatientiã moræ, quam facie-
bat Auctor Gratiæ, promissus à tot iam
seculis; humano genere, altissimis mon-
tibus peccatorum, & aquis miseriarũ
amarissimarum, concluso, in inimicitijs
Dei. Hos montes per Gratiã liquandos,
has aquas in vaporem consumendas vi-
debat: quod ne differretur vltius, fla-
gitabat identidẽ, suo, & totius antiqui-
tatis nomine, tota contentione exclamans:

B

mans

mans c. 45 *Rorate cali de super, & nubes
 pluant iustum! aperiatur terra, & germi-
 net Salvatorem, & iustitia oriatur simul!*
 & c. 63. pæne expostulat; *Ubi est Zelus
 tuus, & fortitudo tua, multitudo viscerum
 tuorum, & miserationum tuarum? super
 me continuerunt se.* Aliàs contemplatio-
 ne felicitatis orituræ ex Gratia, in ad-
 mirabiles eius laudes effusus, in omni-
 bus elegantissime, copiosissimæque elo-
 quentiæ suæ thesauris, non satis inue-
 nit luminum atque gemmarum, quibus
 exprimat, quod animo sensit. Huc spe-
 ctant illi, quos memorat, Fluvij pacis,
 illi Saltus claudorum, illa Vbera con-
 solationis, Conviuiû pinguium, Abie-
 res ortæ pro salivunca, Aurum pro ære,
 Ædificatio desertorum, Fundamenta
 saphyrina, Splendores animarum, Cali
 novi ac Terra nova. Denique soluitur
 etiam in Carmina, quæ tanto antè pa-
 trueli suo, Salvatori, decantat præ gau-
 dio bonorum, per Gratiâ afferendo-
 rum hominibus. Idem fuit sensus alio-
 rum veterum; quorum desideria tanto
 magis.

CONSIDERATIO I. 3

magis accendebantur, quanto videbant plura, & promissione quidem fecundissima, reuera tamen vacua, præludia Gratia. Hanc in nubibus, hanc in cisternis Bethleem, hanc in omni rerum euentu sibi adumbrari videbant: quia *omnia in figura contingebant illis*. I. Cor. 10. Nihil igitur aliud, quàm Gratia promissa, occurrebat illis, quocunque oculos, aut animum referrent. O quis explicet, qui fuerint gemitus eorum, quæ vota, quæ suspiria? Et ea tamen omnia non suffecerunt ad exorandam, donec adderentur desideria Virginis, tanto maiora, quanto illos omnes iustâ rei æstimatione, ac dignitate præcessit. Quantum igitur est Gratia bonum, quod tantis votis, non nisi infinito pæne auctario Maternæ intercessionis accumulatis, concessum est? & quem nobis par est sensum inesse, quos circumfluit copia doni, tantopere desiderati ab illis, & plerumque satis parçè ipsis admensi?

II. *Fide Moyses grandis factus negavit.*

B 2

se

4. DE PRÆST. GRAT. DEI.

se esse filium filia Pharaonis, magis eligens affligi cum populo Dei, Heb. 11. Nec Moyſi tantum fuit hoc iudicium, vt, aspiciens remunerationem Gratia, omni theſau- ro Ægyptiorum æſtimaret maiores di- uitias improprium Chriſti; ſed etiam aliorum, qui ſpreta redemptione, & li- beratione quacunque, varijs tormen- tis crudelem in modum diſtenti ſunt; alij verò ludibria & verbera experti, in- ſuper & vincula & carceres, lapidati ſunt, ſecti ſunt, tentati ſunt, in occiſione gladij mortui ſunt: circuierunt in melotis, in pel- libus caprinis, egentes, anguſtiati, afflicti, quibus dignus non erat mundus: in ſolitudi- nibus errantes, in montibus & ſpeluncis, & in cauernis terra. Et hæc Apoſtolus me- morat de antiquis. De Chriſtianis autē quis recensere poterit, quantū pro Gra- tia Dei, vel recuperāda, vel conſeruanda, vel augenda perpeſſi fuerint; quā admirabiles artes commenti, quantum exceſſerint omniū hominum cupidita- tem, qui immaniter vel diuitijs, vel di- gnitatibus, vel voluptatibus inhiant?

Om-

CONSIDERATIO I. 3

Omniū tyrannorum crudelitatem, omniū carnificum brachia, omniū suppliciorum instrumenta fatigauerunt. Deserta perlustrauerunt, claustra implērunt, aquam & ignem superauerunt, cælum ac terram obstupescerunt, omnem sensum & intellectum transgressi fuerunt, ardore Gratiae Dei seruandæ, & exaggerandæ. Ne quod eius periculum adirent, omniū hominum conspectum fugerunt, omniū sibi rerum vsu interdixerunt; omnes corporis, & animi sui motus habuerunt suspectos, & annotatos in tabulis ad rigidissimam censuram asseruaerunt: si quid obfuscatum putarent, leuissimas noxias perennibus pœnis expiauerunt. Si quem autem Gratiae in se habitantis gustum sentirent, non se capiebant præ gaudio, diffleuebant lacrymis dulcedinis, etiam corpore plus quàm semimortuo sublimes emicabant in cælum; exultabant, decantabant, *hinniebant*, vt loquitur Isaias c. 34. Imò non gustu solùm Gratiae præsentis

6 DE PRÆST. GRAT. DEI.

delectabantur, sed etiam supplicijs, quibus norant eam sibi augeri; professi, nunquam se suavius epulatos: ac si quid minus verberum infligi sibi viderent, quàm socijs, querebantur se affici contumeliâ. Quàm igitur inæstimabile Gratiæ bonum esse putabimus?

III. *Filioli, quos iterum parturio, donec formetur Christus in vobis. Galat. 4.* Non sibi tantùm Apostoli & Apostolici viri, omni studio, & impensa Gratiæ accumulare conati sunt; sed omnes etiam alios, si fieri posset, homines ad eam felicitatem perducere. Quia scilicet præsentis vitæ bona tunc clariora videri solent, quando in vno tantùm homine constiterint: sed spiritualia bona Gratiæ tunc magis effulgent, cùm plurimi sociantur communione illorum: quia quò melius est quidque, hoc pluribus communicare se cupit; & ex hoc ipso bonitas eius magis cognoscitur. Ideo Paulus, qui seipsum consecraverat Deo, etiam orbem uniuersum studuit offerre: qui terram & mare, Græciam, *simil.*

simulque barbariam, omnemque prorsus
 quanta est sub calo, regionem quasi volitans
 circummit, non simplici labore, velut in
 vacuum itinera percurrrens; sed peccato-
 rum spinas pariter euellens, & verbum se-
 minans ubique pietatis: fugans errores, ve-
 ritatem reducens, ex hominibus Angelos
 faciens; quin imò ipsos homines, quasi ex
 demonibus in Angelos prouehens. ait S.
 Chrysost. hom. 1. de laud. Pauli. Et in hoc
 ipsum summis viribus annisus est, qua-
 si parturiens: atque vt mulier, cum pa-
 rit, tristitiam habet; sic peracerbi acci-
 derunt Paulo isti labores. Vnde rursum
 ait Chryl. Quanam illa est adamantina
 prorsus anima, quae Pauli patientiam possit
 imitari? neque enim bis septem annorum,
 sed totius vitae seruitium pro sponsa pertu-
 lit Christi; non adustus solum aestu diei, &
 noctis gelu; sed tentationes mille perpetuens.
 Et nunc quidem verberibus, nunc verò la-
 pidibus cesus, atque collisus; & nunc qui-
 dem cum bestiis, modò autem cum fluctibus
 pugnans; modò etiam nimiae atque conti-
 nue reluctans fami, diebus & noctibus; &

8 DE PRÆST. GRAT. DEI

inter certamina ubiq; resiliens, captas oves
ex diaboli faucibus extrahebat. Nec tan-
tùm pro omnibus, sed etiam pro singu-
lis angebatur, & vrebatur. Nam quæ Iob
corpore, hæc Paulus mente sustinuit, quæ
omni verme molestior, de singulis quibus-
que labentibus mœstitiâ consumebat: unde
& iuges lacrymarum ex eo fontes, non die-
bus solum, sed etiam noctibus effluebant.
Tantus autem fuit ardor illius, ut
quod laudum sanctæ illius animæ,
Moyse caput ac fastigium fuit, ipse
eminentiore virtute transcenderet.
Moyse enim cum cæteris optavit perire, sed
Paulus pro cæteris: non enim cum illis
pereuntibus perire voluit, sed ut saluaren-
tur alij, ipse de gloriæ aternitate decidere.
Quem sensum, ait idem hom. 2. dili-
genter attende. Præmium certè erat
dissolui, & esse cum Christo; & præ-
mium quidem desideratissimum illi; &
tamen alios non saluari, acerbius æsti-
mabat, quàm seipsum perire: aliàs
nunquam hoc elegisset præ illo, quod
utique elegit, tanquam tolerabilius,
Deni-

Denique omnibus omnia factus est, ut omnes saluos faceret. *Quasi enim uniuersum mundum genuisset, sic perturbabatur, sic curabat, sic omnes in regnum Dei festinabat inducere, docendo, pollicendo, meditando; tum orando pro ipsis, tum etiã ipsos obsecrando, & terrendo; & demones corruptores animarum fugando; aliquando epistolis, aliquando presentia; nunc sermone, nunc rebus, per discipulos, per semetipsum conabatur erigere labantes, stantes firmare, humi iacentes attollere, sanare contritos, torpentes oleo exhortationis animare.* Atque hic sensus, hoc studium non fuit Pauli solius, sed omnium plane Apostolorum, & innumerabilium aliorum, qui eos fuerunt secuti, quauis ætate, in omnibus terræ partibus: quos omnes vnica, Gratiæ Dei mortalibus impertiendæ, causa permouit. Quid nã permoueat omnes eos, qui præcipua quadam ratione ad homines in Gratiã reducendos, à Deo vocati, largisque facultatibus animi donati sint?

IO DE PRÆST. GRAT. DEI.

CONSIDERATIO II.

*Quanti Gratiam Dei faciant
Angeli.*

I. **G**audium erit in celo coram Angelis Dei, super vno peccatore, poenitentiam agente. Luc. 15.
Magna res est Gratia, de cuius reparatione, quæ per poenitentiam fit, gaudeant Angeli. *Gaudium erit*, non qualecunque, sed festum & solenne, quod Filius Dei, inter summa mysteria, nobis patefaciendum putauit. *In celo*, vbi tanta vis gaudiorum est, vt nulla videatur fieri posse accessio; cum Deus ipse, fons infinitus gaudiorum, impleat omnia, *Coram Angelis Dei*, qui vtique si etiam beati non essent, pro excellentia suæ naturæ, non gauderent quibuslibet rebus: quanto magis, posteaquam intrârunt in immensum gaudium Domini sui, non possunt gaudere, nisi maximis rebus? Non gaudet vir crepitaculis puerorum. *Super vno*: multum esset, si super toto genere humano, vel super Adamo,

Adamo, Dauide, vel alio Patriarcha magno gaudium esse diceretur; vel super Constantino Imperatore, totum simul orbem secum trahente ad Fidem. Non super his tantum gaudent Angeli, sed super vno, quocunque tandem illo, peccatore, quantumvis vili, quantumvis improbo; imò super hoc magis videntur gaudere. *Pœnitentiam agente*: non de coronatione regis terreni, vel de electione Imperatoris gaudent, quia hæc puerilia reputant Angeli. Sed si pœnitentiam agat aliquis, si Gratiam Dei recuperet, super hoc festa, & gratulationes instituunt. Hoc Seraphinis ignes festiuos accendit, hoc Cherubinorum Sapientiæ gustum auget, hoc Thronos ornat; hoc magnis illis spiritibus Dominationem, Principatum, Virtutem ac Potestatem suam dilatat; hoc Archangelis, & Angelis felicitatem accumulat; hoc totum cælum noua hilaritate perfundit.

II. Dicit verò Christus gaudium hoc fore *Coram Angelis*; quia non tam illo-

rum fit, quàm suum. Gaudium ipsorum, tantum est gratulantium, & quasi congaudium; ipsius autem Filij Dei proprium gaudium, cui congratulantur; qui coram ipsis ostentat gaudium suum, quasi re præclare gesta, ipsos ad gratulandum inuitans. Semper maius est gaudium eius, cui congaudemus, quàm nostrum; quamuis & nos gaudeamus, si ei gratulemur ex animo: tantòque magis, quanto maius ipsius est gaudium. Quale autem, & quantum hoc sit, tergemino exemplo declarat. 1. Pastoris, qui ouem errantem, per aua & aspera deserti, conuulnato corpore, magno labore ac studio, diu frustra quæsitam, tandem tamen repertam non iugulat, non agit ante se iratus, sed humeris exceptam, utique etiam exosculatus, refert ouans ad gregem; & amicis ac vicinis felicitatem suam in eius repertione deprædicat. 2. Mulieris pauperis, quæ si drachmam vnā perdiderit, anxie accensâ lucernâ, eam, veluti magnam sub-

Substantiæ suæ partem, & omnia mouens, domumque euerrens, quærit diligenter, donec tandem inueniat: & cum inuenerit, conuocat amicas, & vicinas, dicens: *Congratulamini mihi; quia inueni drachmam meam.* Non exiguæ tantum fortunæ, sed etiam mentis esse videatur hæc mulier, quæ pro ære tantillo se tantopere defatigat; & eo reperto, tantum tripudium excitat, conuocando viciniam. *Ita, dico vobis, gaudium erit coram Angelis Dei.* Sustinet se Filius Dei, quasi inopem, quasi mentis parum sanæ videri coram tantis spiritibus, pro vno peccatore poenitentiam agente: quia non minùs amabat, quàm inops rei & animi solet. Neque illi, qui repertus est, sed sibi gratulari vult illos: nec tanquam de re carissimo empta, sed quasi de inuenta gratulari, vt S. Thomas notauit *opusculi. 63. c. 7.*

Videri posset, indignationem hoc potius prouocare in Angelis, quàm gratulationem, qui tanti videant fieri hominem unum perditum. Pereunt mul-

ta millia; periisset & iste. An non tot Angelorum laudes perennes Deo sint satis? Ergo 3. exemplo utitur, Patris nimium indulgentis, & filium ab omni turpitudine resipiscientem, excipientis cum gaudio; fratremque alterum, qui in officio manserat, dedignantem ingredi ad festiuium epulum, rogantis, ut communi gaudio libens velit accedere. Benedicite Deus; quænam hæc ratio, tam sollicitum esse de perdita vna bruta ouicula, de denariolo, de filio degenerare & luxurioso, ut tanto labore ac sudore, & quidem diu frustra quæras ipsemet; ac de reperto tandem gaudere, & exultare tantopere? Quid vestra, Cherubini, sapientia affert hinc causæ? quid vestra, gloriosissimi Throni, dignitas? quid vester, Seraphim beatissimi, ardor ad hæc? quid reliqua spirituum agmina gloriosa sentitis?

Congratulamur, aiunt, Diuino Pastori, & iucundum carmen admodulamur: beatam prædicamus æternæ sapientiæ, in mulieris pauperis dignanter assum-

CONSIDERATIO II. 15

assumpta similitudine, quando ita vult ipsa, fortunam: accumbimus epulis Patris, iucundi de filio suo recepto è sordibus, lætique amplectimur fratrem. Ecce enim, vt boni velleris est ouis illa, & iam digna, quæ dormiat in sinu pastoris, & de calice ipsius bibat. Ecce, vt eius imago nitet pulchrè in drachma leuioris metalli. Ecce, vt bene moratus est iam frater noster, posteaquam ei vexatio dedit intellectum. Vt ei bene annulus conuenit in manu, ac stola prima. Quàm pulcher est in calceamentis filius principis? Ita Dominus ipse iudicat, ita delectatur, ita ergo & nos ipsi meritò collætamur: tanta est apud eum Gratia resipiscentis; nec minor apud nos esse debet. Inde nobis hæc gaudia. Hæc Angeli.

III. Est & alia causa gaudij beatorum spirituum, quæ tangit ipsosmet. Quot lacunæ sunt in cœlo ex defectione rebellium, tot sunt labes Angelici nominis. Has abstergerendi solis hominibus gratia datur; quia desertores illi
non

non possunt resipiscere. Implere dicuntur homines Angelorum ruinas, non quòd in eorum loca succedant, quasi in cælum venturi non essent, si illi perstitissent in fide: non ita; nam æquè primaria voluntate, & charitate perpetua Deus hominibus destinavit sedes beatas: sed quòd ex hominum salute, atque victoria de diabolis, quædam Angelicæ defectionis compensatio fiat, dum meliora secuti, obedientiam bonorum, contra maledictos illos, sequelâ & calculo suo confirmant; eisque superatis per gratiam, Conditori subtractas laudes instaurant: & gloriâ summâ potiti, perfidos Seraphinos homines in terra nati confundunt. O beati mortales, si suam conditionem agnoscant! Gratiam Dei obtinere, est seruare locum Angeli: perdere verò, est in barathrum diaboli ruere; ex Angelo dæmonem fieri. Et hoc tamen fit vnoquoque peccato lethali!

IV. Ultima causa gaudij cælestis est ipse homo, Quidni enim gratulentur

ei

CONSIDERATIO II. 17

ei ciues beati? si magno regi nascatur
filius, toto regno fiunt festa lætissima.
Quot homines Gratiam Dei conse-
quuntur, tot ei filios nasci credendum
est: ô quis explicet, in quæ bona? si in-
fans regius, è tenebris vteri prodiens,
intelligeret, in quanta bona venisset,
nunquid ipse quoque totius regni gra-
tulationes putaret esse iustissimas? Heu
quàm è tetro carcere, ex foetidissima
massa perditionis procedit homo, qui
exutus peccato, Gratiâ Dei donatur:
Intelligunt ista, penduntque suis mo-
mentis beati Angeli, & homini non
multo plus agnoscenti felicitatē suam,
quàm si esset infans, omnes Ordines
gratulantur festiuo plausu, per totum
cæleste imperium.

V. *Nonne omnes sunt administratorij
spiritus, in ministerium missi propter eos,
qui hereditatem capiunt salutis? Hebr. I.*
Non tantum ex illa gratulatione colli-
gitur, quanti Gratiam faciant Angeli;
sed etiam ex ministerio, quod Deo &
hominibus, Gratiæ causâ, præstant ala-
cerimè.

cerrimè. *Ipsi enim velut procuracionem animarum nostrarum tenent, quibus, dum adhuc paruuli sumus, velut tutoribus, & aëtoribus committimur, usque ad præfinitum tempus à patre, ait Origen. hom. 8. in Gen. Volupe illis erat in veteri lege varias personas induere, quibus Christus, & Gratia eius præfigurabatur: antecedere populum crudissimum in columna nubis & ignis, præparare quotidie manna, mercenarij formam & munus assumere. Cùm autem bono operi, lectioni S. Scripturæ operam damus, gaudent nobis adesse, & auxilium ferre; imò ipsi pascuntur, & reficiuntur inde, velut ex diuinis & rationalibus cibis: vt docet Origen. hom. 20. in Iosue. Quid dico, quia diuina virtutes pascantur, & epulentur in nobis, si nos verba Diuina Scripturæ proferamus ex ore? Ipse Dominus noster IESVS Christus, si nos inueniat his vacantes, & huiusmodi studiis & exercitijs operam dantes, non solum pasci, & refici dignatur in nobis; verùm etiam, si has epulas apud nos viderit apparatus, Patrem secum*

CONSIDERATIO II. 19

cum dignatur adducere. Ministrant igitur Angeli Domino suo, & rebus gaudent ijsdem. Ipsi sunt medici animarum nostrarum, sedulo nos curant, & liberare volunt à vitijs. Viderunt, quantam nostri curam gesserit pius Samaritanus, eorum Dominus; quàm pretiosa è sui sanguinis balsamo præparauerit medicamenta. Ergo nihil omittunt indultriæ. Sed impatiens æger eorum charitatem impudenter sæpe repellit nec acquiescit eorum consilijs. At ipsi vident se operam perdere, cum loquuntur inuicem, & dicunt: Relinquamus eam, & abeamus unusquisque in terram suam. Hoc est; credita nobis est à Deo medicina, ut animam curaremus humanam. Adbuimus adiutorium, medicinam imposuimus: multum contumax est; non vult obseruare quod dicimus; studium nostrum non sequitur effectus. Relinquamus eam. Caue homo, ne quando relinquat te medicus, siue Angelus Dei, siue quicumque hominum, cui credita est cura ser-

monita

monum ad salutis medicinam deferendam.

Orig. hom. 3. in Ierem.

VI. *Tanquam leo rugiens circumit.* I. *Pet. 5.* Licet ab hoste quoque petere testimonium. Quanti faciat proditor Gratiam à se perditam, luculentè demonstrat, dum ut satiet odium suum erga Deum, omnes fraudes excogitat, quibus probos euertat. Quàm indigna subit elatissimus spiritus, ut à Gratiae augmentis Dei seruos impediat? bubonum, porcorum, canum figuras & voces induit, ut terreat vnum anachoretam, vel turbet orantem. Cooperatur sordidissimis peccatis, & à nobilitate naturæ suæ alienissimis: Infinita mala instituit, ut regnum Gratiae minuat, licet nôrit inde suas poenas augeri. Et nos tamen eius consilia sequimur; gratiam ipsius præponimus Gratiae Dei. O deploranda dementia!

CON.

CONSIDERATIO III. 2R

CONSIDERATIO III.

Quanti Deus ipse faciat Gratiam suam.

I. **S**imus enim, quod omnis creatura
 Singemiscit, & parturit usque ad-
 huc. Rom. 8. Nemo rectius iudi-
 cat de rebus, quam æterna Dei Sa-
 pientia, quæ errare non potest. Quanti
 verò ipse faciat Gratiam suam, demon-
 stravit ab initio. Nam totum hunc
 mundum rerum corporearum studio-
 sè ita molitus est, ut omnia vel instru-
 menta forent homini ad Gratiam com-
 parandam, seruandam augendam; vel
 argumenta, quibus, agnitâ Conditoris
 opulentiâ & bonitate, excitaretur ad
 studium eius Gratiæ. Clamant omnia,
 quàm bonus sit Auctor eorum, quàm
 optabilis eius Gratia, quàm & parabi-
 lis eadem. Hoc solis, ultro omnes mun-
 di angulos perlustrantis, diligentia;
 hoc perpetui lunæ labores; hoc inde-
 finens cæli concentus; hoc elementor-
 um in hominis obsequia certamen ir-
 recon-

reconciliatum contendit. Omnia clamant: *Accipe*, homo, nostrum obsequium; *redde* Conditori officium laudis; *cave* Gratiae ipsius iacturam. Vide, quanto ambitu agat ipse in nobis omnibus omnia: vide, ut suae amabilitatis & opulentiae thesauros ostentat: vide, ut per nos, opera manuum suarum, tua commoda, delectationes, & ornamenta procurat; quasi tuam sibi Gratiā quæreretur, dum suam, tantis veluti lenocinijs, offert. Profectò magnum quid in Gratiae suae dono contineri intelligit, qui tantis modis persuadere nobis conatur, ut eam quæramus; ac tanto nos apparatu adiumentorū eius comparandae instruxit. Infelix homo, qui cum tota rerum natura cooperetur in lucra Gratiae, solus ipse illarum abusu tantum bonum effundit!

II. *Agnus occisus est ab origine mundi.*
Apoc. 13. Cum parens generis nostri, maleconsulta præteritione mandati, nobis omnibus pessundedisset hoc bonum; Deus non sic est iratus ingrato, quin

CONSIDERATIO III. 23

quin prouideret mox de remedio; eoque non obuiio, quando etiam tale nulum sufficeret; sed exquisitissimum quoddam, & vndequaue mirabile protulit infinita Sapientia eius, expetivit Iustitia, Misericordia postulauit, recepit Omnipotentia, Bonitas immensa persuasit. Idemque ita complacuit Patri æterno, vt, quoad eius implendi tempus appeteret, ab ipso mundi exordio, id crebris, & magnificis, promissionibus commendaret: Filius autem, cuius id erat exequi, præ desiderio, miris, & innumerabilibus figuris ipsum delinearet, variisque modis operi suo præluderet; sitim eius boni, quod parabatur, scitissimarum adumbrationum prælibatione accendens. Hoc manna designabat; hoc latices è saxo prorumpentes; hoc scala cælo adnota; hoc arca foederis; hoc innumeræ suauissima quæ veteribus per ambages demonstratæ, effigies Gratia. Et sunt SS. Patres, qui dicant, non per Angelos hæc gesta, sed per ipsum Filium Dei: ipsum induisse
for-

24 DE PRÆST. GRAT. DEI.

formam ignis, rubum non adurentis; ipsum in columna nubis, & ignis antecessisse Hebræos; ipsum denique in assumpta specie diuersa, locutum cum priscis, ut ea quasi meditatione se exerceret ad opus, quo Gratiam nobis erat recuperaturus. Quod si non ipse fuit, saltem id ipse præcepit Angelis, ut in eis iucundè spectaret imaginem eius, quod ipse erat factururus. Videbat se mactari in victimis, se adoleri in thure, se proponi in mensa, se occidi in Prophetis, se ornari in templo. Tantùm delectabatur id muneris sibi demandatum esse; tanti faciebat negotium Gratiæ, cuius conciliandæ causa mittebatur. O Fili Dei! ô homo! ô Gratia!

III. *Propitius sit mihi Dominus, ne faciam hoc. Num sanguinem hominum istorum, qui profecti sunt, & animarum periculum bibam?* 2. Reg. 23, Rex David æstimabat aquam, sibi è cisterna Bethleemica allatam, non suâ naturâ, cum aquâ nihil vilius habeatur; sed periculum trium militum, qui eam per media castra

CONSIDERATIO III. 25

castra hostium, ingenti ausu, attulerant. Et tu, homo, quicumque es (certè non semissis es compositus Filio Dei) in se pretiosissimum liquorem Gratiae Diuinæ, sanguine eiusdem Filij Dei, & morte comparatum, pro leuissima voluptate abligurire, pro re nauci in terram effundere non dubitas! Non magno steterunt reliqua omnia Deo: *dixit, & facta sunt; mandauit, & creata sunt.* Vno Dei flatu factus est homo in animam viuentem: quatrIduanum verbo reuocauit ad vitam: nec maioris operæ fuerunt ei miracula omnia. Sola Gratia stetit ingenti labore, diuturno ieiunio, fame & siti, sanguineo sudore, ardentibus lacrymis, diris plagis ac vulneribus, denique ignominiosissima morte Sancti sanctorum. O Angeli, ô Cherubini pleni scientiæ, dicite nobis, quid rei sit Gratia, pro qua tantum Deus expendit. Neque isto contentus, quòd semel factus sit homo, despectus & nouissimus virorum; imò vermis, & opprobrium hominum; insuper quoti-

C die

die descendit è caelo in manus Sacerdotum, vt immoletur denuo sub specie panis & vini, & ingrediatur in manducantium ora. Quid hoc tantum dignationis, tantum negotij Filio Dei? non satis est ei, semel indigna perpeſſum descendisse ad inferos; quotidie subintrat barathrum hominum, vt eos Gratia locupletet. Quantis olim vocibus impetratus tandem est eius aduentus? iam quotidie non rogatus, sed velut ex imperio subito adest, vt Gratia fluenta aperiat. O ambitiosi, ô delicati, ô pigri: quid sentitis iam de studiis vestris? vos nec digitum vultis mouere pro Gratia, & omnes curas in sectandis umbris consumitis: sed Filius Dei non aliud ob oculos habet negotium, quam donandi vos Gratia. Neque ipse intelligit, quantum hoc donum sit.

IV. *Charitas enim Christi urget nos. Pro Christo legatione fungimur, tanquam Deo exhortante per nos. Obsecramus pro Christo, reconciliamini Deo. 2. Cor. 5. Non satis expressum putabar suum iudicium.*

CONSIDERATIO III. 27

edictum de Gratia, nisi super omnia plurimos eius dispensandæ ministros parâset, ut non solus ipse infinitis modis homines prouocaret ad Gratiam, sed ut simul multoties in ore tot ministrorum, in tot Apostolis, & doctoribus, & rectoribus populorum ad hoc institutis, allaboraret. Ipse eos, ut æstimentur dicta ipsorum, potestate, sanctitate & gratijs cumulat: ipse per eos patrat miracula: ipse eos ad prædicandam Gratiam urget, nec sinit interquiescere. *Væ enim mihi est, si non prædicauero*, ait vnus illorum. Vide labores Pauli, vide Dominici, Xauerij; vide sis aliorum: ecce quomodo eos urget. Ipse homines ad eam acceptandam exhortatur per illos; ipse per eos obsecrat, ut velint reconciliari Deo, & esse in eius gratia. Hoc spectat omnis apparatus Ecclesiæ, hoc ordines Sacerdotum, hoc tot Sacramenta, præcepta, consilia, instituta, admiranda Sanctorum exempla; ut eorum excessu saltem mediocria nobis persuadeat. Nec vi-

C 2

lesnat

lescat tibi, homo, Gratia Dei, quòd obtrudatur. Si vile donum esset, non tantis modis Deus id commendaret.

V. *Non rapiet eos quisquam de manu mea. Io. 10.* Vt Deus suos conseruet in Gratia, non dubitabit omnes naturæ leges euertere. Nam Gratia tota mundi gubernatio militat. Gratia causâ regna conduntur, turbantur, mutantur. Vt Gratia contempta puniatur in improbis, neglecta in segnibus, vt augeatur in pijs, bella geruntur, innocentes vexantur, boni succumbunt, expeditio S. Bernardi in terram sanctam caret successu, S. Ludonicus rex capitur, multa millia Christianorum intereunt. Patientia Catholicorum bello vexatorum in Germania Superis placuit, gratiam auxit. Pestilentia multa millia absumit, vt aliqui ad Gratiam redeant. Sic fames, sic terræ motus, effusiones Vesuij, eruptiones aquarum fiunt. Omnia Gratia causâ Deus pro nihilo putat, vsque adeò, vt etiam de prouidentia ac præsentia sua (dum talia permittit,

CONSIDERATIO IV. 29

mittit, vel immittit) à quibusdam dubitari non curet: vt Tertullianus aduertit. Et nos ergo perdamus omnia, dum Gratiam Dei seruemus, vel augeamus pauxillum. Guttæ illius par esse nihil potest. Hinc margaritæ parabola, pro qua ille omnia dedit: hinc thesauri absconditi, pro quo ille vendidit omnia: hinc consilium deferendi patrem, & matrem. Parua sunt ista præ his, quæ meretur hoc donum.

CONSIDERATIO IV.

*Gratiam Diuinam humane
longè præstare.*

I. **I**Ta loquimur, non quasi hominibus placentes, sed Deo, qui probat corda nostra. 1. Thess. 2. Maximi faciunt multi gratiam hominum, & in ea culmen suæ felicitatis reponunt; quia scilicet omnibus bonis augere videtur, & ipsis regibus exæquare. Vno tantum regni solio te præcedam, aiebat Pharaon, Genes. 41. At hominum tamen gratiam non

C 3

curat

curat Apostolus, sed Dei, qui probat
 corda: quia gratia eius probos requi-
 rit, & facit: humana nec requirit, nec
 facit; sæpissimè nec esse sinit. Etenim
 plurimi caua specie virtutis hanc obti-
 nent: quia homines eos tantùm gratos
 habent, quos vident suis moribus & cu-
 piditatibus commodos; quos faciles,
 iucundos, vtilis, omnia sibi assentari &
 assentiri paratos; quos ad vota sua fa-
 ctos inveniunt, fouent, qualescunque
 sint interim. Quin sapientes pro certo
 argumento improbitatis id habent, si
 videant quempiam diuitum, potentium
 aut principum ædes frequentare; salu-
 tare illos, & affectari. *Quisquis enim hu-
 ius generis vitam sibi sequendam proposuit,
 non solum non verax esse consuevit; sed etiã
 omnem malitiam habere: quippe qui aut
 pecuniarum, aut principatus, aut gloriae, aut
 honorum sit cupidus; & vel aliquibus ho-
 rum seorsim, vel omnibus simul insidietur.*
 ait Galenus l. de cur. an. morb. ac proinde
 ipsorum causa nihil non faciat. Quod
 si quos etiam probos inuenerit homi-

num gratia, tales plerumque diu esse non finit. Ipse adeò Domini fauor filijs Zebedæi ambitionis occasio fuit. Quomodo ergo magnum aliquod bonum in ea gratia esse potest, quæ vera bona disturbat, & in grauissima mala plerumq; præcipitat? aut quomodo vllus tam malè consulit sibi, vt merita veræ virtutis vendat humano fauore? *si hominibus placerem, Christi seruus non essem.* ait Apostolus, ergo nec amicus.

II. *Dissipauit Deus ossa eorum, qui hominibus placent.* Psal. 51. Quod quàm verum sit, Aman expertus est: ille tantâ Regis Assueri gratiâ potitus, vt ab eo patris loco coleretur, & adoraretur ab omnibus, post regem secundus; vergente fortunâ, cum omni cognatione sua suspensus est in patibulis, & is cui malam crucem parauerat, exaltatus in locum ipsius. Neque solus ipse gratiæ humanæ leuitatem expertus est, sed tot ferè, seculis omnibus, Amanes fuerunt, quot Principes. Si vitrea principum, talis multò magis est populi gratia. *In-*

stabile namque est humanum genus; neque amici duntaxat, & fratres, sed parentes nonnunquam, leui de causa mutatis animis, filios, & filij parentes inuicem omni hoste grauius persecuti sunt. ait S. Chrysost. hom. 1. in Cor. 1. sed qui diuinam Gratiam habet, etsi innumera mala perpetiatur, non modò hominum neminem, sed ne diabolum quidem formidat. Dominus in generatione iusta est; quoniam Dominus spes eius est. Psal. 13. Sed qui hominibus placent, confusi sunt; quoniam Deus spreuit eos. Ps. 51. Quantum discrimen, Dominus spes eius est, & Deus spreuit eos? Dominus in generatione iusta est, & Deus dissipauit ossa eorum?

III. Scio, quia bonus es tu in oculis meis, sicut Angelus Dei; sed satrapis non places. 1. Reg. 29. Sic est humana gratia; quamuis vera sit, & virtute nitatur, neque maligna & infida sit, infirma tamè est, etiam quando maxima. Gratosus erat apud regem Philistæum Dauid, sicut Angelus Dei; nota virtus, constans fauor; non tamen hoc potuit, vt non cogere.

geretur Dauidem ab se dimittere primo diluculo. Daniel quoque ob merita charus Dario erat, & superabat omnes principes ac satrapas amplissimi regni; quia spiritus Dei amplior erat in illo. Vnde & rex cogitabat eum constituere super omne regnum. Dan. 6. Sed ecce quàm infirma gratia. Principes postulârunt eum ad necem. *Quod verbum cùm audisset rex, satis contristatus est; & pro Daniele posuit cor, ut liberaret eum; & vsque ad occasum Solis laborabat, ut erueret illum.* Tamen præualuerunt illi, & miserunt eum in lacum leonum. Quem tanta gratia regis tueri non potuit, quin obijceretur leonibus, Gratia Diuina inter leones seruauit, non eâ tantùm, sed etiam altera vice, quando necem sibi minantibus, rex necessitate compulsus tradidit eis Danielem, & sex diebus inter famelicas feras sedenti Dominus misit prandium. Dan. 14. Sancta itaque, fida & omnipotens est Gratia Dei. Quin eam igitur omnibus modis præ humana putida, infida ac futili ambi-

mus, nisi & ipsi putidi, nobis ipsis infidi, ac planè improvidi sumus?

CONSIDERATIO V.

Gratiam Dei longè præstare luminini, sensibilibus rerum pulcherrimæ.

I. **V** Idit Deus lucem, quòd esset bona; & diuisit lucem à tenebris. Genes. 1. Prima rerum, quam Deus laudauit, lux est: quia nihil eà venustius, vti nihil funestius tenebris. Illa enim est mundi decus, risus cæli, hilaritas naturæ, vita rerum, gratia Solis, oculorum deliciæ, regina formarum, recreatio spiritûs, admiratio sapientum, paludamentum Creatoris, imago Maiestatis immensæ. Et ea tamen forma tam nobilis, & nunquam satis laudata, nec explicata, Gratia Dei si comparetur, plus non est, quàm ænigma quoddam illius, & vmbra. Inuisa fuit initio rerum materia. Sap. 11. *Fecit Deus lucem, & collaudauit.* Feralis &

& nunc est omnium rerum facies, & mortuus noctu color: sed ubi lux affunditur, illico excitat omnia, ut videri possint, & mirabili varietate formarum, ac pulchritudinis suæ certare. *Omne enim, quod manifestatur, lumen est. Ephes. 5.* & sine eo nihil conspici potest. Nihil tam abominabile ac tetrum, quam animus Gratiâ carens. Additur Gratia, audit dicentem, *Surge qui dormis, & illuminabit te Christus*, Gratiæ suæ radio tanget: mox nihil eo formosius, nihil amabilius oculis Dei, tam viuidis ac delicatis: & qui totus tenebræ fuit, subito lux est, & ut filius lucis, seu radius quidam fulgidus, per cæli templa incedit, omnium cælestium oculos in se conuertens, & ipsius adeo Regis æterni aspectus exhilarans. O felix radius! ô splendor amœnus! ô exhilaratio Curia cælestis! vidit, qui interfuit splendoribus Sanctorum, Apostolus, & consueta charitate succensus nos monet, ut probemus, quid sit beneplacitum Deo, & nolimus communicare

C 6 operi-

operibus infructuosis tenebrarum. *Vide* te uaque fratres, inquit, quomodo caute ambuletis non quasi insipientes, sed ut sapientes. Nolite fieri imprudentes, sed intelligentes, quæ sit voluntas Dei, quid eum oblectet. Lux enim est, in quam feruntur eius oculi; alia sine luce grata ipsi non sunt.

II. *Eratis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino. Ephes. 5.* Lumen res non tantum conspicuas, sed etiam lucidas facit, ut ipsius nobilissimæ rerum naturæ, Solis, compotes fiant, & quasi totidem Soles. Videmus in aqua Sole tacta, videmus in speculo, ut repente Sol nouus existat. Quod carbo ad stellam, quod gutta picis ad auroram, hoc anima carens Gratiâ. Admoue ignem, admitte lucem, accipiat Gratiam, tota lux erit, tota Sol quidam. Detrahe stellis lucem, hoc erunt, quod carbones non magni ad Solem. Hic ergo profluvio suæ lucis cælum inundans, seque globis illis impertiens, totidem sui imagines, & quasi proles in firmamento

to constituit, quæ, ex ipsius copia, iam
 inde ab exordio mundi dant lumen in
 custodijs suis cum lætitia, & *lucent ei*
cum iucunditate, qui fecit illas. Baruch. 3.
 Sic Deus gloriæ suæ speciem exhibet in
 Gratia; cuius plenitudinem, tanquam
 sibi natiuam, continet Christus, *vas*
admirabile, opus Excelsi, Eccl. 43. qui
 cum sit splendor gloriæ, & figura sub-
 stantiæ Patris, in pectore suo quasi for-
 nacem custodit ardoris, & exæstuans
 radios igneos emittit, illisque impertit,
quos Pater prædestinavit conformes fieri
imagini filij sui, ut sit ipse primogenitus in
multis fratribus. Rom. 8. & sic ipse inter
 eos, tanquam Phæbus inter stellas ef-
 fulgeat. O species cæli animarum san-
 ctarum! ô admirabilis apparatus ca-
 strorum in excelsis! ô Diuina pulchri-
 tudo in firmamento Gratiæ resplen-
 dens gloriose! & quis satiabitur vi-
 dens gloriam eius? Quanquam aliquid
 amplius est in Gratia. Sol non ipse in
 stellas, aut specula descendit, quando
 suam cum eis speciem & lucem com-

municat: sed Deus hoc facit: cum Gratia totus venit in animas; totus in eis est. *Ad eum veniemus*, ait, & *mansionem apud eum faciemus. Io. 14.* O mansio! ô dignatio! ô dignitas iustorum! ô novi Soles! ô admiranda vis Gratiaë!

III. *Abijciamus ergo opera tenebrarum, & induamur arma lucis. Rom. 13.* Lux Solis iners & inermis non est; non modò imaginem Solis inducit, sed etiam vires. Nam & vrendi vim speculis affert, ut possint, quod sua eis natura nunquam dedisset. Plantas quoque, & uniuersa gignentia lux animat, ac resuscitat mundum, hieme pene morientem quotannis. Quis memoret ea, quæ in calo vi luminis fiunt, quæque in abditis terræ efficit. *Sol tripliciter exarens montes?* Potentia profectò sunt arma lucis, ac vires: sed multo potentior vis Gratiaë Dei, quæ non modò palpabiles tenebras, & Ægyptias noctes qualiumcunque scelerum expugnat, ac subito pellit; sed etiam producit mirabiles fructus in omni bonitate, & iustitia, & veritate.

CONSIDERATIO V. 19

uitate. Ephes. 5. Vt qui modò, nudo in-
fante infirmior erat, mox transgressus
omnes naturæ vires, diuina quædam, &
ipsis etiam Angelis admirabilia patret;
non imagine sola Dei, sed etiam poten-
tiâ præditus. Sunt enim arma lucis *non*
carнала, sed potentia Deo, ac diuina vir-
tute. 2. Cor. 10. O lux Gratiæ, affulge &
illuminare his, qui in tenebris, & in um-
bra mortis sedent. O lux beatissima,
reple cordis intima tuorum fidelium.
Denique vt lux Solis illustrandi, pene-
trandi, inflammandi, mouendi, dila-
tandi, eleuandi, nouâque forma ornan-
di vim habet: sic Gratia Dei facit hæc
eadem in ijs, quibus donatur, & ijsdem
dat hæc etiam posse in alijs. Confide-
remus Apostolos, & Apostolicos viros,
Franciscum, Vincentium, Ignatium, in-
numeros alios; vt illuminârint animos
hominû! vt penetrârint, succenderint,
mouerint; vt dilatârint eorum angu-
stias! vt grauedinem eleuârint ad cæ-
lestia: vt nouam & meliorem denique
formam induxerint suæ cuiusq; dispo-
sitioni

sitioni parem, ad modum ideæ & providentiæ Dei. Verè itaque lumen est adumbratio Gratiæ: & Gratia quovis lumine pulchrior.

CONSIDERATIO VI.

Gratiam esse præstantiorem toto mundo, & ipsâ etiam animâ hominis.

I. **M**iserationes eius super omnia opera eius. Ps. 144. Præcipua miserationum Domini Gratia est: hæc excedit omnia opera eius. Ita S. Augustinus tract. 72. in Ioan. affirmare non dubitat: cùm quis ex peccato venit ad Gratiam, Prorsus, inquit, hoc maius esse dixerim, quàm est calum, & terra, & quæcunque cernuntur in calo, & in terra. Quid dicit hic Vertex Theologorum? nunquid eius beneficij, quod ipse consecutus erat, æstimatio fecit, ut supra verum augeret? quid existimas Angelice Doctor de hoc pronunciatum?

CONSIDERATIO VI. 41

to? num Theologicae amussi consen-
tit? Nihil dissentit S. Thomas, sed ar-
gumento confirmat in 1. 2. q. 113. a. 9.
*Maius opus est iustificatio impij, quae ter-
minatur ad bonum aeternum Divinae parti-
cipationis; quam creatio calis & terra, quae
terminatur ad bonum naturae mutabilis. Et
rursus; Bonum Gratiae unius maius est,
quam bonum naturae totius uniuersi.* An for-
tè S. Bonaventura aliam opinionem se-
cutus est? non est secutus, quia in 2. dist.
27. a. 1. q. 2. ad 2. fidenter pronunciat,
Gratiam esse primum, & excellentissi-
mum inter dona creata. Non ergo affe-
ctus id expressit Augustino, sed veritas:
quam & saepius repetiuit, lib. 5. de Trin.
c. 18. *Nullum, inquit, est isto Dei dono ex-
cellentius. & l. 2. ad Bonif. c. 6, Dei Gra-
tia non solum omnia sidera, & omnes cae-
los, verum etiam omnes Angelos supergre-
ditur. Deus immense, quanta opera?
quanti in tota rerum natura potentiae
tuae, sapientiae, & bonitatis thesauri? &
super haec tamen omnia est Gratia?
Non iam dicam de caelo & terra; quali-*
bus

tibus & quantis operibus? sed de ani-
 mabus, de ordinibus & exercitibus An-
 gelorum. Et hos tamen omnes Gratia
 supergreditur. Num fortè natura tan-
 tum sua, non etiam æstimatione; sicut
 formica naturâ melior est auro, non æ-
 stimatione? Imò & naturâ, & æstima-
 tione præcellit Gratia. *Melior est enim*
Sapientia (ita Gratiam & Iustitiam vo-
 cat, quòd ea carere sit insipientia) *cun-*
ctis pretiosissimis, & omne desiderabile ei
non potest comparari. Prou. 8. Si hoc ita
 est, Dominator Domine Deus, misericors
 & clemens, patiens & multa miserationis,
 & verax, *Exod. 34.* Quid dicemus, qui
 Gratiam tuam ita vilipendimus, pro
 indigna voluptate projicimus, pro pi-
 gritia ac tædio tam obuia eius lucra
 negligimus? Ah, parce nobis, qui custo-
 dis misericordiam in millia; qui aufers ini-
 quitatem, & scelera, atque peccata, nullus-
 que apud te per se est innocens. *Exod. 34.*
 Omnes enim rei sumus huius tantæ in-
 iuriæ in Gratiam tuam, & contume-
 liæ.

II. Quid

CONSIDERATIO VI. 43

II. *Quid enim proderit homini, si lucratur totum mundum, & detrimentum anime sue faciat? Marc. 8.* Detrimentum est sanè, non modò quando perdimus omnem Gratiam Dei, sed etiam quando eius augendæ occasionem amittimus: & maius quidem detrimentum, quàm si mille naues onustas pretiosissimis mercibus; quàm si, lucra totius auri, quod in mundo est; quàm si coronas omnium imperiorum terræ neglexerimus. Et facimus hoc tamen quotidie, facimus omni horâ & momento, facimus ob leuissimas causas: quia piget animum ad Deum leuare; piget Gratiæ datorem, in Eucharistia præstolantem, salutatum adire: lubet otari, graue ducimus instituta pia seruare, sequi diuinos instinctus, dissimulare molestiâ, premere oculos, frenare curiositatem; & infinita talia virtutis exercitia, momentanea & leuia illa quidem, immensum tamen Gratiæ pondus adiectura omittimus. Vt taceam de maioribus illis Gratiæ fluentis, per Sacramenta, & arduos

arduos virtutum actus, copiosè manantibus; sed heu nimis frequenter vanissimos ob respectus neglectis. Beati autè verèque prudentes, qui omnes actiones suas agunt è norma virtutis, nullam occasionem Gratiaè cumulandæ dimittunt, ac totam vitam suam in eo quæstu traducentes, irridentiù se risum irrident.

III. *Melior est enim vnus timens Deum, quàm mille filij impij. Eccli. 16.* Non ergo tantùm ea dicuntur de excellentia Gratiaè, quæ est in omnibus sanctis hominibus, & Angelis; non de mari Gratiarum, quod æstuat in corde Deiparæ; non de copia, & cumulo maximo; sed de qualibet gutta Gratiaè. Melior est enim vnus timens Deum, qualis est quilibet vnâ Gratiaè micâ donatus, quàm mille impij. Et vniuscuiusque tamen impij anima toto mundo est melior: *Nil est enim, quod animæ possit aequiparari; ne vniversus quidem mundus.* ait S. Chrysost. in 2. Cor. c. 1. Quid ergo tibi mundus? quid diabolus offert, vt hoc tanto bono te priuet? quid appetis tam dulce, tam vtile, tam
glo.

CONSIDERATIO VI. 45

gloriosum, ut prae habeas Gratia? ut no-
lis esse in Gratia, quam tanta cum dul-
cedine, tanto studio tui, tanto exornan-
di te desiderio Deus offert & pro sola
voluntate accipiendi largitur. Menti-
tus est satanas, quando Christo promi-
sit se daturum omnia regna mundi, &
gloriam eorum. Dare nec voluit, nec
potuit. Mentitur & tibi, quando, ut
Gratia Dei te spoliet, nescio quae me-
liora promittit. Nec si dare vellet
omnia, melius aliquid posset, quam sit
unicum granum, aut momentum Gra-
tia. Vide ergo, quanta tibi damnatio
immineat, si tantum bonum non a stimes.

CONSIDERATIO VII.

*Gratiam esse prestantiorem om-
nibus Angelis, & miraculis,
& ipsa beatitudine.*

I. **N**unciare patri meo universam
gloriam meam, dicebat Ioseph
suis fratribus. Genes. 45. E ser-
uo & captiuo, dominus Aegypti factus
erat,

erat, ac pater Pharaonis: tantum suam
conditionem mutarat. Sed hoc nihil
ad hominem Gratiâ donatum. Ioseph,
cum corona ac sceptro Ægypti, non
tantum præcellit seipsum victum, &
squalentem; quanto superior est homo
Gratiâ potitus, non dico peccatore
sed Adamo, patre orbis terrarum, &
ipsa adeo natura Angelica. Nec tanto
mobiliior est summa Seraphinorum na-
tura lumbricis, aut apibus, quanto eâ-
dem Seraphinorum naturâ superiorem
constituit hominem Gratiæ decus. Pro-
cedat quicunque omnibus naturæ or-
namentis, opibus, ac splendore præful-
gens, ipso etiam Sole ac stellis amictus;
non habebunt, quod mirentur, quod
aspicere cupiant Angelicæ mentes. Sed
Gratiæ Dei micantes videre desiderant,
mirantur, extollunt, ac Deo gratulan-
tur, quasi nouo regno sit auctus. Audi-
uit Ioannes Apoc. 19. *Quasi vocem turbe
magna, & sicut vocem aquarum multarum,
& sicut vocem tonitruorum magnorum,
dicentium Alleluia; quoniam regna-*
uit

CONSIDERATIO VII. 47

ait Dominus Deus noster Omnipotens: gaudē-
deamus, & exultemus, & demus gloriam ei.
Si quis inops, & corpore miserabili,
mutare posset conditionem suam non
tantum regia fortuna, sed Angelicæ
naturæ felicitate, nunquid hoc faceret?
ac si hoc obtinere posset sola pœniten-
tia suæ miseræ, num dubitaret? At qui
fide Christi in adoptionem filiorum vocati
sunt, humilitatem naturæ suæ deposuerunt,
& honorantur Christi gratia, quasi splendida
induti purpura, ad supernaturalem digni-
tatem ascenderunt, ait S. Cyrillus in Io.
c. 14.

Qui staret in Sole, terram pro nihilo
reputaret: at supra firmamentum po-
situs, videretur etiam nihilo minor: hoc
loci distantia faceret. Itaque non loco,
sed dignitate, supra totam rerum natu-
ram constitutus in solio Gratiae, pote-
ritne vllas terræ opes aut nugas ama-
re? poteritne se ita abijcere, vt aliquid
admittat cum ea commercij? Ac tan-
tum quidem cum sit Gratiae donum,
nihil tamen est extraordinarium, sed
iste

*iste est consuetus & communis cursus iustificationis (seu primæ, siue secundæ) ut Deo mouente interius animam, homo conuer-
tatur ad Deum inquit Angelicus Doctor
suprà cit. q. a. 10. & sic Deo ex inu so-
gratus, ex grato gratior fiat. Si vni tan-
tùm homini, vel unicuique tantùm se-
mel in vita offerretur hoc munus tam
eximium, quantâ curâ id omnes adipi-
sci studeremus, & conseruare, ? nunc,
in tanta eius & acquirendi, & infini-
tùm augendi facultate, tam negligentes
quî sumus? quid pro tanta affluen-
tia Bonitatis respondebimus Deo?*

*II. Amen, amen dico vobis, qui credit
in me, opera, quæ ego facio, & ipse faciet,
& maiora horum faciet. Io. 14. Plurima
Christus admirabiliter fecit, omnem
naturæ facultatem excedentia, siue in
operandi modo, vt quando subito sa-
nauit ægrotos, siue in materia, vt cum
cæcis visum, mortuis vitam restituit; si-
ue denique in ipsa substantia operis, vt
quando suum corpus penetrauit per
alia corpora, vel dotibus gloriosis or-
nauit.*

CONSIDERATIO VII. 49

hauit. Et his tamen omnibus maiora
facturos affirmat, non aliquos, sed abs-
que exceptione omnes, qui credunt in
eum. Quandonam faciunt? Theologi
cum S. Augustino dicunt, quoties vel
se, vel alios apud Deum reponunt in
Gratiam. Hæc maior est quocunque
miraculo, & præstantius est, teste S.
Chrysostomo, mederi animæ peccatis
mortuæ, quàm iterum reuocare ad vi-
tam corpora mortua: minúsque fuit,
iuxta S. Gregorium 3. *dialog.* 17. Laza-
rum resuscitari in carne, quàm Saulum
in mente: quia *amplius est resuscitare
semper victurum, quàm resuscitare iterum
moriturum.* inquit S. August. *serm.* 44 *de
verb. Domini.* Ut meritò dicat Richar-
dus de S. Victore *l. de Patriarch. c.* 44.
*Nescio, si potest homo aliquid à Deo in hac
vita maius accipere, quàm ut eius ministe-
rio peruersi homines in melius mutantur.
O qualis dos? quanta dignitas, talem gra-
tiam à Deo accipere? Non debuit Des-
ponsa, à sponso suo, dotem aliam accipere;
non decuit caelestem sponsum, sponsa sua do-*

D

tem

rem aliam donare, quàm, ut per adoptionis gratiam, possit multos Deo filios gignere; & de filiis ira, ac gehenna. Regni celestis heredes adscribere. Neque tamen suscitare mortuos, genus est summi miraculi. Plus est penetrare duo corpora, & gloriosum facere corpus humanum. Quid autem? quolibet actu charitatis, qualibet eleemosynâ, imò suspirio pio plus facis: quia maius animæ tuæ decus addis, quàm Christus in monte Thabor suo corpori: maioris potentiae opus facis, quàm si te per lapidem penetres. Quid ergo cessamus, mortales? cur vltimo momento à virtutum actione desistimus, qua tam admirabilis effectus provenit? Hinc Apostoli gaudent conuulsi: hinc insatiabili ardore feruntur, ut se, & alios ornent hoc admirabili dono. Et si crudelis est ille in se ipsum, qui miserè conuolutum, vel constrictum corpus suum, vno mentis actu in Deum, si possit, non sanet, quem dicemus eum, qui animæ suæ longè maius beneficium negat?

III, Optum

CONSIDERATIO VII. 51

III. Optabam enim ego ipse anathema
esse à Christo, pro fratribus meis. Rom. 9.
Magni Doctores & Patres existimant,
Apostolum beato Christi consortio
carere voluisse, vt Iudæi Gratiam con-
sequerentur. Quo certè sensu alibi,
Philip. 1. disertè affirmat, se propter il-
los manere in carne, à qua aliàs effli-
ctim dissolui cupiat, & esse cum Chri-
sto. Præfert ergo alienum bonum Gra-
tiæ, propriæ felicitati cælesti. Quia sci-
licet nullum est hoc Dei dono excel-
lentius, teste S. Augustino l. 9. de Trin.
c. 18. ne beatitudo quidem. Nam 1. vt
S. Thomas cit. a. 9. docet, donum Gratiæ,
iustificantis impium, est maius, quàm do-
num Gloriæ, beatificantis iustum: quia plus
excedit donum Gratiæ dignitatem impij,
qui dignus erat pœnâ; quàm donum Gloriæ
dignitatem iusti; qui ex hoc ipso, quòd iusti-
ficatus, est dignus Gloriâ. 2. Sicut essen-
tia proprietatum, ita Gratiæ fons est
bonorum beatitudinis; ac proinde
etiam in seipsa præstantior. At illa,
Deus æterne, quàm excellentia? nec

auris audiuit, neque in cor homini
 ascendit. Quomodo igitur capiet ex-
 cellentiam Gratiae? 3. Infiniti quo-
 dammodo sunt appetitus mentis hu-
 manae. Satiatur hæc tamen bonis Glo-
 riæ. Deus autem, qui maior est corde
 nostro, nec tantum quodammodo, sed
 usquequaque infinitus, acquiescit in
 Gratia. Quod si delectat eum etiam
 beatitudo nostra, id ea ratione fit, quæ
 & ipsa in censum Gratiae venit. Nam
Gratia Dei vita eterna. Rom. 6. gaudet
 que Deus remunerari nos largiter. Sa-
 nè Gloriam nobis expetimus, Gratia
 Deo placemus. Mensura Gloriæ Gratia
 & ingenua charitas expetit illam, ut
 Deo gratior fiat; sui, quod est in illa,
 commodi rationem posterius habet.
 sciens illam carere, vitiosum non esse; hæc
 autem destitui, turpissimum, & miser-
 rimum. Ideo Paulus, qui gloriam suam
 æquo animo differri sustinuit, à Gratia
 tamen, & charitate nullis unquam mo-
 dis separari se sineret. *Rom. 8.*

CON-

CONSIDERATIO VIII. 93

CONSIDERATIO VIII.

*Potiozem esse Gratiam quacun-
que propinquitate Christi,
etiam Matris.*

I. **N** Usquam enim Angelos apprehen-
dit, sed semen Abrahe, Heb. 2.
Quid ni ergo superbiat terra
& cinis? Deus omnes Angelorum or-
dines præteriens, nullius ex ipsis, quan-
tumvis eminentis, non Cherubinam
aut Seraphinam, sed humanam natu-
ram assumpsit; cum hominibus visus,
cum hominibus conuersatus, & homo
factus est. Nullius iam infirmitatis no-
stræ, nullius ærumnæ nos pigeat, quan-
do quod nos sumus, hoc Deus est. Pi-
geat potius, si possit, excellentiæ suæ
Spiritus illos cælestes, quibus non da-
tum est, fratrem & principem familiæ
suæ habere Deum. Te, homo, Deus ex-
altauit super Angelos: tu enim cum
Christo, capite tuo, iudicabis Angelos.
Quis optet habere locum Angeli, si

D 3

possit

possit habere locum debitum homini.
 Potius Angeli ex eo tempore hominum
 familiaritatem affectant, vt *Genes. 18.*
 expertus est Abraham. Conserui quo-
 que nostri dici, & haberi volunt, *Apoc.*
19. Prompti hominum speciem, & no-
 men assumunt. *Aahuc me loquente in*
oratione, ecce vir Gabriel. ait Daniel c. 9.
 Qui appetunt nomina nostræ mortali-
 tatis, num censemus eos refugituros
 eiusdem ærumnas, pro hac dignitate, si
 ita possent eam acquirere? Tanti fecit
 hanc Paulus, vt etiam de Cruce Christi,
 deque nulla re alia gloriandū putaret.
 Veneremur itaque Caput hoc nostrum,
 vt S. Chrysost. *hom. 3. Ephes.* nos monet.
 Cogitemus sedulò, cuius simus, &
 quàm suspiciendi Capitis corpus. Re-
 uereamur germanam hanc, atque co-
 gnatam affinitatem nostræ carnis, cum
 Christo contractam: & vt S. Leo hor-
 tatur, adepti participationem genera-
 tionis Christi, carnis renunciemus ope-
 ribus. At ea tamen rursus coniunctio
 cum Diuinitate contigit vni tantum,

de

CONSIDERATIO VIII. 55

de toto genere nostro, & à longinquo
nos tangit. Possumus cum ea perire,
possumus indui pedicis, præda fieri ca-
num infernorum, præcidi à capite, il-
lòque indigni esse. Gratia verò singu-
los nos intimè Deo coniungit; Deo ac
tanto Capite dignos facit, ut Deum re-
doeamus ipsimet: Gratia nobis ob-
tinendæ causâ, mirabilis illa naturæ
vtriusque coniunctio facta est. Quam
ergo facienda hæc dignitas hominis,
tanta Dei dignatione quæsita?

II. *Panem Angelorum manducavit ho-*
mo. Psal. 77. Multum est epulis accum-
bere diuturnum, vescique adipe & medulla
Diuinitatis. Et iste quidem panis An-
gelis tantum est *panis propositionis*; eo
tantum aspiciendo pascuntur: non
subit eorum viscera; non miscetur na-
turæ. Homo illum verè manducat; ho-
mini intimè se insinuat in SS. Eucha-
ristia, cibus eius effectus, admirabili
amoris inuento: quo ipsimet ei sigilla-
tim *concorporales* efficimur, ut loquitur
Apostolus *ad Ephes. 3.* Magna est, si in-

telligent, olerum dignitas, qua in hu-
 mani corporis transmutata naturam,
 eadem vita, spiritu, colore donantur.
 Quanta erit hominis, qui corpore ani-
 moque saginatus, transit in alimenti
 celestis naturam, & assumptâ Filij Dei
 vitâ, & operatione, transformatur de
claritate in claritatem, tanquam à Domini
spiritu. 2. Cor. 4. Verè Deus est sub pe-
 ctore nostro; verè diuinus sanguis mi-
 cat in venis nostris; atque ille quidem,
 si volumus, quotidie recens. Nemo ita-
 que nos aspernetur; non tantùm affi-
 nes iam Deo sumus per Incarnationem;
 sed etiam Consanguinei; sed etiam
 vnum corpus cum Christo, per Eucha-
 ristiam. Rectè igitur monet S. Grego-
 rius Naz. *orat in S. bapt.* vt, si dæmon per
 cupiditatem, aut aliud vitium nos op-
 pugnando, petat adorari à nobis, con-
 stanter ipsi dicamus; *Christum indui in*
Christum transmutatus sum; tu me ipse
adora. Ita certè, veretur nos ille, si nos
 ipsi dignitatem nostram agnoscimus,
 & in veterem vilitatem non vltro de-
 generi

generi conuersatione redimus. Ad hoc enim Christus Carnem suam nobis dat in cibum, vt per Gratiā reficiamur in animo, spiritusque diuinos concipiamus. Quod si non fiat, nihil proderit nobis sanguinem eius gustasse, corpus sumplisse. Totum igitur hoc fit Gratiæ causā: tanti est, vt in Gratia simus. Et quamuis videret Christus, quā indignè esset à multis in hoc Sacramento tractandus; quia tamen etiam vidit, quantum Gratiæ sibi alij per hoc essent comparaturi, neglexit suas iniurias, neque indignum putauit institui à se tam sumptuosum conuiuium: abunde compensatum existimans fructu dignè accumbentium, qui est Gratia.

III. *Qui autem minor est in regno caelorum, maior est illo. Matth. 11.* Dixit hoc Dominus de Ioanne Baptista, quo quidem quoad munus à Deo iniunctum, maior non surrexit inter natos mulierum: non Moyses dux populi, non Samuel regum consecrator, non Dauid Rex & Propheta, non Salomon condi-

D S tor

tor Templi, non Elias cælo dominatus,
 non alius quisquam in veteri lege: ma-
 ior omnibus dignitas fuit Præcursoris.
 Et hac tamen ipsa maior est, qui mini-
 mus in lege Gratia, infans renatus in
 Christo, & Gratiam baptismo confe-
 cutus. Quid hominibus maiorem di-
 co? non Angelica potestas, principa-
 tus, aut eminentia vlla par est huic in-
 fanti, si desit eis Gratia: hanc autem si
 consecuti fuerint, pro nihilo reputa-
 bunt portare orbem, præesse regnis, pa-
 trare prodigia, & alia, quibus Diuinæ
 potentia sunt facti participes. Quin
 etiam plus audemus, Diuino testimo-
 nio freti; & ipsius Angelorum Reginae,
 Matris Dei dignitati præferimus istum
 infantem. Beatus utique venter, qui
 Christum portauit: maximum, & om-
 nibus venerabile nomen est Matris: &
 hoc ipsum tamen Christus, quia terre-
 num, in comparatione celestis propinqua-
 tis, vt S. Augustinus ait, epist. 38. abiicit:
*ac Materna propinquitas nihil Mariae pro-
 fuisset, nisi felicius Christum corde, quam
 carne,*

CONSIDERATIO VIII. 39

carne gestasset. ait idem lib. 6. de *Virgin.*
c. 3. Quid ergo nobis magna nomina
inter homines? quid imperia? quid di-
uitiæ, pro quibus, legem diuinam vio-
lando, Gratiam Dei amittimus? quid
hæc omnia profunt nobis, si Regine
celi sua dignitas nihil profuisset abs-
que Gratia? si illa, per peccatum perdi-
tâ gratiâ, ignis æterni damnata fuisset?
Duplex in Virgine dignitas, & sanctitas
fuit; vna, quasi aliena, & extrinsecus il-
lata à Filio Dei, qui ex ea carnem acce-
pit, & habitauit in eius vtero vsque ad
tempus nascendi; propria altera, & in-
terna, à Gratia. In vtraque cum Deo
fuit communicatio; ibi sanguinis, hîc
Diuinitatis: in vtraque Dei contactus,
& inhabitatio; ibi corporalis ac tempo-
ranea, hîc perpetuò duratura Spiritus
sancti. Prior sanctitas secuta est com-
municationem sanguinis; at posterior
nobilior communicationem, Deita-
tis effecit. Prior sine posteriore profu-
tura non erat; at sufficiebat sine priore
posterior. Multo ergo melior; & si il-

Iam singularitas admirabilem facit, istam, cum tanta sit communio, facit obstupescendam. Quæro autem, si quis mysterij conscius (horrendum dictu) conatus esset Christum in utero Virginis veneno perimere; aut si ipsa medicamentis, noxiorum ciborum ingurgitatione, vel sola inedia abigeret partum diuinum, quid mereretur? Tu ergo, quoties ex alijs, vel ex teipso, Spiritum sanctum peccato audes expellere; cum occasiones peccandi offers, aut quæris; cum per omissionem bonorum operum, Diuinum in te foetum non nutris, ut extinguatur tandem, quo crimine condemnabere?

CONSIDERATIO IX.

*Ut gratia subito aboleri
peccata.*

*Hactenus de magnitudine Gratiae: nunc de
admirandis effectis.*

- I. **S**i fuerint peccata vestra, ut coccinum, quasi nix dealbabuntur. Isa. I.
Magnum super omnia donum
est.

est Gratia; virtus eius non minor. Etenim peccatum malum est ingens, & abominabile. Congere, quidquid malorum est, & fuit usquam: adde, quidquid esse, & excogitari potest, in corpore & anima, in tempore & æternitate, in fortuna & fama: totum illud compositum vni peccato mortali, malum non reputabitur; quia etiam bona, quibus nos priuat, respectu eius, quo priuat peccatum, bona non sunt. Ideo quicunq; agnouerunt gravitatem peccati, maluerunt omnia perpeti, quam consentire peccato. Ecce enim, Deus noster, quem colimus, potest eripere nos de camino ignis ardentis, & de manibus tuis, o rex, liberare. Quod si noluerit, notum sit tibi, rex, quia deos tuos non colimus: aiebant tres pueri Dan. 3. & Susanna apud eundem cap. 13. Melius est mihi absque opere incidere in manus vestras, quam peccare. Tantum est malum, vt ignibus æternis expiari non possit: vt nullis bonis operibus & meritis compensari. Verè dixit quidam de suis iniquitatibus

bus in *Psal.* 37. *Sicut onus graue grauata sunt super me.* Etenim Pyrenæis montibus obtritum Deus resuscitare, & sub eis conseruare potest; peccato vel vni succumbentem, per omnipotentiam suam, in Gratia vita seruare non potest. Iam sit, in quem incidant omnia peccata, quæ vnquam perpetrata sunt, & perpetrabuntur, enormia, horribili cumulo; donetur is, tam miser, tam abominandus peccator, Gratiâ Dei; super niuem dealbabitur. Vt Sol tenebras, ita Gratia subito perimit omne peccatum. O admiranda vis Gratia! Neque existimandum est, multis peccatis abolendis multum etiam Gratiaë necessarium esse; sicut magna vis multiplicitis morbi magnam copiam medicamentorum requirit. Non ita: nam quæuis, vt ita dicam, tenuissima Gutta Gratiaë pellit omnia, quantumuis multa & magna, peccata.

II. *Quantum distat ortus ab occidente, longè fecit à nobis iniquitates nostras. Psal.* 102. Ergo non tantum à peccato quocunque

CONSIDERATIO IX. 63

cunque liberat Gratia, quantumvis modica; sed etiam prorsus id abolet, quasi nunquam admissum fuisset. Summa est occasus, ab ortu Solis, distantia loci & qualitatis. Gratia sic remouet ab anima peccatum, vt longius ab ea sit, quàm occasus ab ortu; quàm tenebræ Solis occidentis, à luce Solis exoriri. Imò vt Sol ad regiones occidentales accedens, luce illata tenebras inde prorsus expellit; sic Gratia mentibus, quibus occubuerat, rursus exoriens, delet peccatum, vt perinde sit dies, ac si nunquam ibi nox vlla fuisset.

De hac obliteratione dicit Micheas cap. 7. *Proiciet in profundum maris omnia peccata nostra; vtique non amplius vel conspicienda, vel magis eruenda in lucem, quàm currus & exercitus Pharaonis emerferint hactenus: de quibus ad Israëlitas dixit Moyses Exod. 14. Egyptios, quos nunc videtis, nequaquam ultra videbitis in sempiternum.* Nam eos operuit mare, & terra deuorauit: submersi sunt quasi plumbum, in aquis vehementi.

mentibus. *Quis similis tui in fortibus, Domine? quis similis tui, magnificus in sanctitate (Gratiæ sanctificantis) terribilis atq; laudabilis, faciens mirabilia? Exod. 15.*

III. *Dixi, Confitebor aduersum me iniustitiam meam Domino, & tu remisisti impietatem peccati mei. Psal. 31.* Antequam David audiret à Nathan, *Domine transulit peccatum tuum*, antequam diceret, *Peccavi Domino*; vt primum proposuit animo confiteri iniustitiam suã, remissa est: vno temporis momento sanata est annalis, & lethifera plaga: imò à morte resuscitatus est vi Gratiæ. Tanta est vis eius, tanta efficacia, vt subito pellat omne peccatum. Quæ talis medicina est vsquam? quanta patiuntur ægroti à medentibus, vt liberentur aliquo morbo? Nulli Carthusiæ montes tam horridi, nulla religionum disciplina tam est rigida & exacta, quàm medicorum. Vruunt, secant, omnia negant, omnia imperant infirmis, spe sanitatis incertæ. Sufferunt hi omnia. *Quis ergo pro recuperanda, pro con-*
ser-

CONSIDERATIO IX. 65

Seruanda vita animæ; pro pretioso Gratia liquore, tam efficaci, tam citò, tam penitus, tam potenter depellente omnes animi morbos, mortémque ipsam, non faciat, non sufferat omnia? Cum Gratia facilè conseruatur vita animæ; sine Gratia recuperari, noua plaga diuitari, non potest: & ipsa tamen absque vi magna obtineri, seruari, & immensum augeri potest. Pœnitere errorum, spernere voluptates absurdas; amare quod odio haberi non potest, virtutem ac Deum, quid habet molestia? Et his tamen tam facilibus emitur ingens Gratia bonum. Quam igitur excusationem habebis, si negligas?

CONSIDERATIO X.

Gratiam esse vitam animæ.

I. **G**ratia Dei vita aterna. Rom. 6.
Et à peccatis liberat Gratia,
& vitam dat animæ. Quanta
sit vis hæc, inde intelligas, quòd nobi-
lior omnibus rebus inanimatis sit vita,

Nom

66 DE PRÆST. GRAT. DEI.

Non enim, ut S. Augustinus ait, *l. de vera relig. c. 29.* qualiscunque moles ista visibili luce præfulgeat, si vitâ careat, magni æstima-
 manda est: qualibet namque viva sub-
 stantia, cuilibet non viva substantiæ, natu-
 ra lege præponitur. Ergo vermiculus &
 musca sideribus. Ut idem docet *lib. 11. de ciuit. c. 16.* Natura enim vitalis præ-
 stantior sit, necesse est, quæ cuncta alia
 sentit ac discernit; siquæ commoda sibi
 inueniat, oblectatur & appetit; si mi-
 nus commoda, fugit aut respuit; ea ex
 seipsa, & commoditatis suæ lege æsti-
 mans. Iam autem si tam nobilis est ani-
 mantium vita, de anima humana quid
 dices? cùm enim, ut S. Doctor *l. cit.* ait,
 illud videre facillimum sit, præstantio-
 rem esse iudicantem, quàm illa res est,
 quæ iudicatur: rationalis autem vita
 non solum de sensibilibus, sed de ipsis
 quoque sensibus iudicet: manifestum
 est, ut sensualem vitam corpori, ita ra-
 tionalem utrique præstare. Itaque si ra-
 tionalis vita secundum seipsam iudi-
 cat, nulla iam est natura præstantior.
 Ut

Ut meritò dicat S. Chrysoſtomus in 2^a Cor. 1. nihil eſſe in toto mundo, quod cum anima humana poſſit comparari: Imò ne ipſum quidem totum mundum: quia ſcilicet corpori dat multiplicem vitam, nutrientem, mouentem, ſentientem, & rationalem, Angelicæ ſupparem. Et huic tamen animæ, vitæque tam excellenti, aliam longè ſublimiorem addit Gratia Dei. Quis eius vitæ operationes deſcribat? Deo nutritur, Deum ſentit, audit, guſtat, amplectitur: in Deum fertur, & exultat: Deo denique viuit, & Deus in ipſa. Eadem Dei, & ipſius ſunt gaudia, ac beatitudo.

II. *Sicut miſit me viuens Pater, & ego uiuo propter Patrem, & qui manducat me, & ipſe uiuet propter me. Io. 6.* Felicem vitam! ſtupendam vim Gratiæ! ſicut Filius Dei per Patrem viuit, ita iuſtus per Filium. Pater Filio ſuam vitam per naturam dat; Filius iuſto ſuam per Gratiā. Inde eſt, quòd gloriatur Apoſtolus: iam non ſe viuere, ſed Chriſtum in ſe;

se; nempe ut in Christo Pater. Eodem ergo spiritu, eadem natura vitali. O quam divinæ operationes, quæ vultus talis animæ? Propter naturalem suam vitam longè excedit omnem pulchritudinem; quia imago Dei in ipsa relucet: sicut magna est veneratio imaginis regiae, quæ tamen nihil regij spiritus, coloris aut filii habet intra superficiem. Si qua verò manus Dædala hanc animaret, non solum rotulis intus absconditis, sed vero spiritu regis ipsius, quanti æstimeretur? Hominis anima statua quædam Dei est: sed vitam ei dat Gratia. Quanti faceret statua regis animam? quantopere eandem desideraret, & custodiret, si posset? O sensus, sensus, proditores animæ nostræ! cur extollitis alias formas, ut ijs capta vitam suam amittat; Gratiā Dei abijciat? quando corpus nostrum odit animam? quando cupit ab ea separari? sic ergo & anima amet animam suam: cupiat in æternum continuare conjunctionem: præ omnibus
 hoc.

CONSIDERATIO X. 69

horreat separari; quandoquidem Deus ei per Gratiā dat longē meliorem vitam, quā ipsa det corpori.

III. *Quam dabit homo commutationem pro anima sua? Matth. 16.* Et de naturali hac anima vitāque hoc intelligendum est, & de supernaturali anima animæ nostræ, siue de Gratia. Pro hac Filius Dei dedit animam suam. Fecit hoc ipse commercium: fuit contractus bonæ fidei: nemo eum circumuēnit. Hoc ipse pretium soluit. Sanguinem, inquam, fudit vnicus Filius Dei pro nobis. O anima, erige te. Tanti vales, ait S. Augustinus in *Psalm. 102.* & diabolus ipse nouit, charissimas esse debere cunctis animas suas: aliās non tantum pro ipsis decertaret. *Quis ergo furor est, viles à vobis animas vestras haberi, quas etiam diabolus ipse putat esse pretiosas? quis furor est viles à vobis haberi, quas etiam ille charas vobis debere esse nouit, qui viles facere conatur?* ait Saluianus l. 3. ad *Eccles.* Vilis autem fit, quæ Gratiā perdit: fit tetrū cadauer. Quid est corpus
fine

sine anima? quis horror, si octo diebus exanime fuerit? quis foetor? Et animam tamen tuam non octo diebus, sed mensibus circumfers absque Gratia, multo tetriorem coram Angelis, quam esset magnus acervus cadauerum putridorum. Imò si terra simul emittat, in vnum locum, omnium hominum corpora, qui mortui sunt ab initio mundi, eademque fluentia sanie, non tantam pestem & horrorem afflabunt hominum naribus, & aspectibus, quantum offerat anima vnica Deo & Angelis, si Gratiâ careat. Quis dormiat, vbi sit in eodem conclauis corpus hominis, putore iam diffuens? quis ferat supplicium Mezentianum, vt viuus alligetur mortuo, eumque circumferat passim? Et tamen cum anima, sanie peccatorum abominabili, Gratiâque Dei carente, plurimi dormiunt, rident, ac ludunt: iuxta quam Angeli manere non possunt. *Nam vt apes fugat fumus, & columbas foetor, ita peccatum repellit Angelum, vita nostra custodem, teste S. Basilio,*
oras.

CONSIDERATIO XI. 73

erat. 3. de peccato. Malitia ergo non inue-
niatur in te: omnibus diebus vita tua; &
erit anima tua custodita: quasi in fasciculo
viventium, apud Dominum Deum tuum.
ait prudens Abigail 1. Reg. 25. Sicut
agricolæ furculos, quos transplantare
volunt, colligatos, in aqua, aut rore
conferuant; sic Deus custodit animas
iustorum, quos in cælo vult arbori vitæ
æternæ inferere.

CONSIDERATIO XI.

*Animam Gratiâ Dei pulchram
fieri.*

I. **Q**uam pulchra es, & quam decoras
charissima. in delitijs. Cant. 7.
Gratiam Dei Doctores Can-
dorem vocant lucis æternæ, qui intel-
lectum illustrat, inflammat volunta-
tem, ac totam animam nitidam facit.
Tam nitidam, & pulchram, ut si eam
videres oculis, cor tuum rumperetur
præ gaudio; dixit olim Dominus S. Bir-
gittæ 2. Revel. 18. Tam pulchram Gratia
facit.

facit, vt S. Catharina Senensis, eâ sibi
 obiter semel ostensâ, lingeret illorum
 vestigia, qui allaborabant, vt homines
 è peccatis educerent. Tam formosam
 denique reddit, vt nullus hominum
 possit capere, & ipse Deus miretur;
 identidem in Cantico illud inculcans,
 Adulterum quendam, Deo puniente,
 sic deformârat peccatum, vt nec agno-
 sceretur ampliùs, neque domum ad-
 mitteretur à suis, sed ab omnibus refu-
 geretur, vt monstrum foedissimum.
 Eundem, per confessionem peccati re-
 cuperata Gratia Dei sic immutauit ite-
 rum, vt iam pulchritudinem eius, ac
 splendorem nemo satis posset mirari.
*Quemadmodum enim, si quis seniculum
 quempiam fœda scabie opertum, peste quo-
 que, aut morbo incurabili laborantem, in
 summa inopia, curandum assumens, ex
 templo sanum, & in flore ætatis constituat
 ita, vt ore splendorem, oculis iubar quod-
 dam ciaculetur; & omnes anteeat forma
 præstantiâ: purpurea insuper chlamyde,
 diademate, & omni regio cultu exornet.*

Sic

*Sic animam Dei Gratia, è peccatis edu-
ctam, elegantem, & mirè amabilem effi-
cit; quam, teste S. Chrysostomo hom. I.
Ephes. ipsi Angeli & Archangeli vehemen-
ter affectent aspicere. Tam denique gra-
tiosam omnibus, vt sit ipsi etiam Deo
desiderabilis. Sanè Dei Filius, sapien-
tissimus formarum iudex, & amator
animarum, admiratur eam, & in deli-
cijshabet. Verùm hîc tu mihi pulchri-
tudinem virilem intellige, parem labo-
ribus cum iucunditate aspectus. Neque
enim fæmineos Gratia facit, sed appe-
tentes laborum, patientesque. Itaque
Sancti comparandi sunt sponso, & sponse,
propter fortitudinem, & ob fœcunditatem.
Verùm illud observa, semper hoc illis inesse,
vt venustate & decore quodam enitescant.
Seruatúrque hoc ab illis, tum in edendis
præclaris facinoribus, tum etiam in fortiter
debellandis affectibus. ait S. Cyril. in Isa.
lib. 5. tom. 5.*

*II. Concupiscet Rex decorem tuum; quo-
niam ipse est Dominus Deus tuus. Psal. 44.
Delicatum est iudicium, delicata con-*

E cupi-

cupiscentia regum. Babylonius quor-
 dam pueros eligi præcepit de semine
 regio, in quibus nulla esset macula, de-
 coros formâ, & eruditos omni sapien-
 tia, vt possent stare in palatio regis. At-
 que hoc tanta seueritate, vt eorum præ-
 fectus metueret capiti suo, si quid
 ex alicuius forma defluxisset. *Dan. 1.*
 Quantus ergo decor est animæ Gratiâ
 præditæ, quem Rex æternus concupi-
 scat? qui colores eius? quæ suauitas, vt
 Mentem infinitam afficiat, & excitet ad
 sui concupiscentiam? potestne pulcri-
 tudo in anima esse, quæ alliciat illam
 pulcritudinem infinitam, omnis pulcri-
 fontem, causamque effectricem, exem-
 plar, ac finem? Si pulcritudo est flos
 boni, qui apparentiâ suâ capis animos
 intuentium, placetque & amatur ideo,
 quod ostendet, quæ bona sunt ipsis:
 quid est in anima tam floridum, vt in-
 tuentis se Dei capiat animum? quid est
 in ea, quod ipsi Deo sit bonum? Nemi-
 ni pulcrum videtur, in quo non aliquid
 ipsi bonum appareat. Sancte Sancto-
 rum!

rum! Iudithæ olim tua bonitas contu-
lit splendorem, & ideo hanc in ea pul-
critudinem ampliauit, vt incompara-
bili decore omnium oculis appareret:
quæ vt ornauit se vestimento suo, &
stetit ante faciem principis militiæ As-
syriorum, *concussum est cor eius: erat
enim ardens in concupiscentia eius. Iudith.*

12. Potestne sic etiam cor tuum Diui-
num concuti aspectu animæ, quam or-
nasti Gratiâ tuâ, vt exardescas in san-
ctam eius concupiscentiam? Ita dicit
Propheta; & vt augeat miraculum, ad-
dit causam eius concupiscentiæ; *Quo-
niam ipse est Dominus Deus tuus.* quasi
diceret: Aliud alijs pulcrum est, ac pla-
cet; Domino autem, quia Deus tuus
est, ô anima iusta, ideo tu places. Pul-
critudo picturæ in imitatione rei con-
sistit; sed rei pulcritudo in imitatione
Dei, siue ideæ Diuinæ. Hic tuus. ô ani-
ma, decor est. Suam Deo Bonitatem,
ac formam infinitam repræsentas per
Gratiam: neque est alius, extra Deum,
cui ita possis placere; cui ita sis amabi-

lis: quia non est, extra eum, qui animo comprehendat pulcritudinem Gratiæ. Cuinam igitur alteri placere velis, quando nemo alius tuâ formâ, & pulcritudine dignus est? Fore quoque illam valde speciosam, & incomparabili gloria coronatam docet *Isaias*, inquit: Eris corona pulcritudinis in manu Domini, & diadema regni in manu Dei tui. Vnamquamque enim animam sanctam coronâ comparare licet, ex multis flosculis composita, vel regio diademati, lapidibus Indicis fulgenti, & quod multiplicem, & variam habet elegantiam. Plurimæ enim sunt Sanctorum egregia virtutes, & non est unum ornamentorum genus, sed multiplex & diversum. *S. Cyrill.* ad *Isa.* c. 62.

III. *Vulnerasti cor meum, soror mea sponsa; vulnerasti cor meum, in uno oculorum tuorum, & in uno crine colli tui. Cant.* 4. Omnis pulcritudo rerum in partium consonantia, & claritate superfusa consistit: ut docet *S. Dionysius* *divin. nom.* c. 4. Ea convenientia & claritas, is decor & suavitas est animæ Deo gratæ,

ut

CONSIDERATIO XI. 77

ut minima quæque ipsius ei perplac-
ceant. Nictus oculorum animæ sunt
cogitationes, crines desideria. Vna eius
cogitatio, vna affectio pia dulcissimè
ferit cor Dei. Vno tantùm oculo paten-
te prodibant feminae in Arabia, obnu-
pto reliquo vultu. Tanto validius eo
spiculum torquebatur in aspectantes,
ut lancinaret quolibet ictu; & si radius
radium feriret, suo eum affectu tinge-
bat. Patet interim vnus tantùm oculus
animæ, Fides; donec amoto velo, liberâ
facie Deum aspiciat. Hoc oculo tanto
certiùs illium tangit, quanto rectiùs de-
stinat: tanto validius percutit, quanto
gratiosiùs nictat, decoris interni ro-
seum, ut S. Chrysostomus loquitur, iu-
bar occultans. Iam quot desideria Gra-
tiæ, quot pia suspiria, totidem sunt ia-
cula, quæ grato vulnere cor Dei percu-
tiunt. Ita decent, ita micant omnia.
Dionysius Carthus, *art. 15. in Cant.* di-
cit; quanto quis ad maiorem beatitu-
dinem est electus, tanto amplius videri
Christum pro eo perpeßum. Certè, si

crinis vnus eum conuulnerauit, non mirum, si totus, intuitu formæ totius, abiuit in vulnera; si necdum plaga pe-
 ctoris eius in cælo conuult. Sed eam tu mihi pulcritudinem æstima, si tanta est vnus capilli gratia: ac simul etiam id reputa, quanta cura adhibenda sit tibi, ne quas distortas cogitationes, ne qua incompta desideria admittas. Nam fauciatur & his cor Domini, qui tam curiosè contemplatur minima quæque; vt tota pulcra sis, amica eius, & macula non sit in te.

CONSIDERATIO XII.

*Gratiam rapere Deum in sui
 amorem.*

- I. **P**ulchra es, amica mea, suavis & decora, sicut Ierusalem: terribilis, vt castrorum acies ordinata, Cant. 6. Tanta vis est pulcritudinis Gratiæ, vt Omnipotentem, cuius potestati nemo valet resistere, velut exercitus bene ordinatus, in sui deditionem

COM.

compellat. Vnde etiam addit; *Auerie oculos tuos à me: quia ipsi me auolare fecerunt.* id est, vincunt me, praevalent, mihi mentem eripiunt; obtutum tuum ferre non possum. Quia per illum animus mihi mollescit, efferuescit, liquefcit: & impetu amoris, foras in rem dilectam tendentis, euolant spiritus tene-riores, & animus simul linquit aman-tem. Ita fit ecstasis; quam patitur etiam Deus, teste S. Dionysio *diuin. nom. c. 4.* Facit hanc diuinus amor, non sineas amantes esse sui ipsorum, sed eius, quod amant. Audendum autem, inquit, & hoc pro veritate dicere, quod & ipse, qui est omnium causa pulcritudine sua & bonita-te, omnium amore, per abundantiam ama-rinae bonitatis, extra se ipsum fit; ad omnia existentia providentijs, bonitate, dilectione & amore quodammodo transitur; & ab eo, quod est super omnia, & ab omnibus segre-gatum, ad id, quod est in omnibus, deponi-tur, secundum ecstaticam (extasin passam) virtutem, à seipso inegressibilem. Si om-nium rerum, quæ sunt, amore extra se

80 DE PREST. GRAT. DEI.

fit, trahitur, & ab Eminentia sua modo quodam deponitur Potentia, & Maiestas illa; quo modo extra se fit, attrahitur, descendit ac demittitur amore Gratiae iam fulgentis in anima, cuius absentis, ac promerendi studio sic extra se fieri, trahi de caelo, & exinaniri sustinuit? O insuperabilis virtus Caritas, ait Richardus de S. Victore, quae ipsum quoque insuperabilem superasti; & cui omnia subiecta sunt, omnibus quodammodo subiecisti; dum victus amore, Deus humiliavit semetipsum, formam serui accipiens: & in ea quidem seruitia omnia, plagas, stigmata, & furcas perpeffus.

II. *Fortis, ut mors, dilectio: dura, sicut infernus, emulatio: lampades eius lampades ignis, atque flammarum. Aquae multae non potuerunt extinguere charitatem; nec flumina obruent illam. Cant. 8. Ecce quam violentus sit amor, quo Deus fertur in Gratiā. Insuperabilis, inseparabilis, insociabilis, & insatiabilis est, ut docet Richardus l. de vuln. char. Insu-*
bilis,

CONSIDERATIO XII. 81

bilis, quia fortis, ut mors. Et ut olim
Immortalem adegit ad mortem, ita pa-
ratus est, si oporteret, sapius eandem
pro iustis oppetere: uti non semel te-
status est. Adeo nulla difficultas eum
superat, nullum tedium naeuorum no-
strorum, & inficetiarum: saepe nec gra-
uium peccatorum, dum ea in maius no-
strum bonum conuertit. Iuuenis qui-
dam apud Ælianum, ut virginem sibi
charam liberaret à dracone, cui ex vo-
to patriæ obijcienda erat, seipsum in
eius fauces iniecit, loricâ vndiq; cuspi-
dibus armatâ vestitus, & sic morte suâ
feram peremit. Heu qualis draco nobis
inhiabat! Filius Dei, obarmatus amo-
re, in eius se fauces immisit iam olim;
& ô quoties adhuc in Sacramento sub-
intrat fauces morte ipsâ diriores, non
ut deglutientem perimat, sed ut ipsum
restituatur vitæ, ac Gratiae. Inseparabilis
est amor eius, nec facilius eum dimittit,
quem brachijs adstrinxerit semel, quàm
sepulcra suos mortuos. *Neque enim ces-
sabit, nisi compleuerit, quod locutus est.*

E 5

Ruth.

Ruth. c. 3. Dixerat autem; *Ego te absque
ulla dubitatione suscipiam.* Parùm itaque
dixit apud *Isaiam c. 49.* Si mulier obli-
uiscatur infantem suum, *ego tamen non
obliuiscar tui.* Parùm est semper memi-
nisse: totus est in eo, totumque in sinu
gerit, & arctissimè complectitur eodem
nexu, quo Unigenitum suum: scilicet,
Spiritu Sancto. Infociabilis quoque est
amor eius; quia non magis patitur so-
cium, quàm validus ignis, omnia con-
sumens, & in se convertens, ut ipse sit
solus. Ita S. Gertrudi fassus est ipse, in
ea se totum acquiescere, propter Cha-
ritatem & Gratiam, quam in ea posue-
rat. Ita & S. Teresæ, se totum esse ipsius.
O verè lampades, seu prunæ (ita est in
Hebræo) ignitæ, & accensæ flammis
Dei; hoc est, maximis! Denique est &
Infatiabilis amor. Affluant aquæ; ablu-
met: irruant flumina; deuorabit im-
manis ardor amoris diuini: & cum tri-
ginta tribus annis exhauferit omnia, in
media dolorum abyssu clamat, *Suo.*
Eadem siti cogente descendens ad in-
feros,

feros, ipsa montium fundamenta combussit, aurū illic purissimū excoquens: & mox regressus in cælum, ignem misit in omnem terram: & quid vult, nisi vt accendatur? Hoc totum incendium sola Gratia fecit. Non satiatur etiam Deus benefaciendo, & ornando; quia non diligendo. Nos autem quid?

III. *Emulor enim vos Dei emulatione.* 2. Cor. 11. Quænam est illa Dei æmulationio, qua se vri dicit Apostolus? *Ego sum Dominus Deus tuus, fortis zelotes:* inquit *Exod. 20.* Zelus est amor incensus, quo mouetur amans contra ea, quæ nocent amato; & impetus, quo fertur in ea, quæ impediunt affectionem eius, quod amatur, aut oblectationem. Hoc zelo Deus amat animas Gratiæ compotes: nec mediocri tantū zelo; quia non æmulator solū, sed vt in *Deuter. c. 4.* dicitur, Deus æmulator, seu fortis zelotes est. Eum zelum animarum S. Gregorius *hom. 12. in Ezech.* significari docet sartagine ferreâ: quia zelus cor amantium frigit & coquit.

Ita sibi accidisse Dominus clamat in *Psal. 101. Ossa mea sicut in frixorio confixa sunt.* Hæc fuit illa Simila, quam Pater æternus in sartagine oleo misericordiae conspersam frigi, & offerri sibi calidam voluit in odorem suauissimum; ac denique totam in ara cremari. *Leuit. 6.* Quod in Passione Domini accuratè impletum est, & impletur etiamnum. Sed in imagine Filij, quid corde suo diuino agatur, adumbravit Pater. Neque enim potuit esse maior zelus in humano corde Christi, quàm ardeat in infinito pectore Dei Patris. O quanto zelo fertur in ea, quæ officiunt Gratiae, quæque perfectam eius assecutionem, & fructum impediunt! Ô quantum cupit pienè frui anima nostra! Et tu, homo, ad ista quid dicis? quid agis? an non par est, cum fortè Machabæo, te adhuc spirantem torreret in sartagine æmulationis, non iam dico gloriæ Dei, sic te amantis; sed tuæ ipsius: ut omnia, quæ Gratiae Dei contraria sunt; quæ ipsius consecutionem, & in-

cre.

CONSIDERATIO XIII. 85

crementa impediunt; quæ fructum & oblectationem, quam Deus ex te capit, absumas & concremes? *Zelanti*, inquit *Psalmes 72. super iniquos, pacem peccatorum videns*. Tanta sunt, quæ impediunt amorem Dei, quæ Gratiâ adimunt hominibus; & illi pacem habent? non apprehendunt arma & scutum? non undique conuocant auxilia? non mouent omnia, vt inimicos suos debellant? Inimici hominis domestici eius, sensus & appetitus eius.

CONSIDERATIO XIII.

Amicos Dei fieri per Gratiâ.

I. **I**nfinitus est thesaurus hominibus; quo qui vsi sunt, participes facti sunt amicitia Dei. *Sap. 7.* Non exigua gratia videbatur Ionathæ, cum rex Alexander, missâ ei purpurâ & coronâ aureâ, constituit, vt amicus regis vocaretur. *1. Mach. 10.* rursûmque Antiochus, filius eiusdem, id illi confirmauit,

E 7

datâ

datâ potestate bibendi in auro, & gestandi fibulam auream. *ibid. c. II.* sed omne hoc fibulæ, coronæ & purpuræ decus, omnis amicitia regum, paulò post interimendorum, nequit conferri cum amicitia Regis sæculorum immortalis; qui animæ pro purpura dat chlamydem charitatis, cum cælestium donorum varietate; pro fibula aurea Spiritum Sanctum; pro corona æternam Sapientiam; pro facultate bibendi in auro, copiam deliciarum cælestium, quibus pro voluntate se proluat. O Pater misericordiarum, quid est homo, quia sic magnificas eum? aut quid apponis erga eum cor tuum? quid? nunquid vanitati similis factus est homo? nunquid ad nihilum redactus est? quomodo ergo eum sic magnificat Deus? quomodo erga eum appositum est cor Dei? Scio, scio, inquit S. Bernardus *f. 54 in Dedic.* ubi est thesaurus tuus, ibi est & cor tuum. Thesaurus Dei est, in anima sancta, æterna Sapientia, quæ vapor est virtutis Dei, & emanatio quædam claritatis

ritatis ipsius sincera, candor lucis æter-
 nae, & speculū sine macula Diuinæ Ma-
 iestatis, & imago bonitatis illius. *Hæc se*
transfert in animas sanctas, amicos Dei
constituens. Sap. 7. Hinc fit, vt & ipsa
 anima thesaurus Dei sit. Nam *qui inue-*
nit amicum fidelem, inuenit thesaurum.
Eccl. 6. Vide, quomodo Deus erga hunc
 thesaurum, erga hominem Gratiā præ-
 ditum, erga amicum suum fidelem ap-
 ponat cor suum. *Amico fideli, inquit,*
nulla est comparatio; & non est digna com-
paratio auri, & argenti, contra bonitatem
illius. Loquitur more nostro, qui aurum
 & argentum summa putamus: at ipse
 nec ea, quæ apud ipsum preciosissima
 sunt, amico & Gratiæ contrā chara ha-
 bet: cū omnia propter illam profun-
 dat, etiam nobilissimam Vnigeniti vi-
 tam & sanguinem. Ideo addit; *Amicus*
fidelis medicamentum vite, & immortalit-
tatis: quasi dicat, amittere talem vi-
 tam, tam preciosam, & mori, acerbum
 quidem; sed medetur dolori, compen-
 sat iacturam reparatio amici fidelis,
 homi-

hominis iusti. Iam si Deus te pro fidei amico, & pro thesauro habet; nunquid ipse non multo fidelior tibi amicus est, ac potior thesaurus? ergo & fidem ei debes, & cor tuum.

II. *Anima Ionathæ conglutinata est anima David, & dilexit eum Ionathas, quasi animam suam. 1. Reg. 18.* Inæqualitas conditionis non impedit amicitiam, dum animi quadrent, & ingenia. Nam obsequium amicos parit, quo alteri alter se bellè accommodat. Quod cum fit, felicius est amicitia inter dispares, & maior se ultro ad inferiorem demittit, eumque sustollit ad se, ut aliqua paritas fiat. Nam quid est, quod pastoritium iuuenem ita amat filius regis; quod fœdus init cum illo, tam impari sibi? Animus impar non erat: amor, & amicitia inter animos difformes non coalescit. Iam non dicam vos servos, ait Dominus Io. 15. *O mira Divine bonitatis dignatio!* exclamat S. Gregor. in Io. 15. *serui digni non sumus, & amici vocamur.* Excedit hæc dignitas natu-

CONSIDERATIO XIII. 89

naturæ humanæ terminos. Omnia seruiunt Creatori, nec quidquam est, quod iugo seruitutis eius non subijciatur: & tamen Dominus, seruantes mandata sua, non seruos, sed amicos appellans, vt amicos in omnibus tractat, ait S. Cyrillus in *Ioan. c. 12.* Quomodo autem amicitia in tanta inæqualitate? Imò sufficiens est æqualitas, etiam conditionis. Nam si amicitia accipit æquales, aut facit, vt S. Hieronymus notat in *Mich. c. 7.* Gratia æqualitatem hanc facit; quia eleuat hominem è conditione serui, & de stercore erigit pauperem, vt collocet eum cum principibus populi Dei. Imò collocat eum in ordine Diuino, consortio naturæ Diuinæ eum impertiens. Ionathas in amicitiae signum exspoliavit se tunicâ, quâ erat indutus, & dedit eam David. & reliqua vestimenta sua, vsque ad gladium, & arcum suum, & vsque ad balteum, vt sic apparere posset decenter coram rege, tanquam alter filius regis. Diligebat enim eum quasi animam suam. Gratia omnibus

bus diuinis ornamentis conspicuum facit hominem, ne balteo quidem excepto, præcipuo regię dignitatis insigni. Omnia enim Gratia servire vult Deus; omnia facit, amatque Gratia causâ, Gratiâ autem, & hominem iustum propter seipsum, & propter gloriam suam, quam alteri dare non potest. Et quantus hic ipse est hominis honor, ut commoda eius ad gloriam suam spectare Deus existimet; & quando omnia propter semetipsum operatus est Dominus, propter hominem sit operatus; ex æquo partiens cum homine fructum eorum, illi vtilitatem relinquendo, seruata sibi hac gloria, quod tam benignè prouiderit homini? Tandem & ipsam gloriam suam vult ei prodesse. Denique & in eo sibi iustos adæquat, quod sibi met facta existimet, quæ vni ex minimis iustorum fuerint facta. Tuum est, homo, si sapias, accommodare te voluntati, & moribus tanti amici; & cauere, ne ultra, quàm par est, te efferendo, ut multi, excidas gratiâ: sed obsequijs

CONSIDERATIO XIII. 91

quijs & moribus illi te conformando,
amicitiam magis magisque confirmes.

III. *Num celare potero Abraham, quæ gesturus sum? Genes. 18.* Non modò conditiones omnes veræ amicitiae Gratia Dei instaurat, vt homo nec inæqualis, neque omnino diuersus à Deo, sed *alter ego* sit; verùm etiam fructus. Tres sunt præcipui, Communicatio affectuum, consiliorum, actionum & rerum. Prima releuat curas, & animi suffocatione laxata, dispellit anxietates: secunda, dissipata confusione cogitationum, tenebras abigit, ac lumen infundit: tertia officijs amici, quibus vt malum granatum abundat, supplet defectus conatum, ac desideria perficit, seruata dignitate suæ personæ. Mirificè præstat hæc Gratia Dei. Clamor Sodomorum, & Gomorrhæ multiplicatus est, & peccatum eorum aggrauatum est nimis. Vidit hoc Deus; tactus est dolore cordis intrinsecus, & poenituit eum, quòd illos fecisset. Abominabilia mala, quæ cor Diuinum exulcerant. Im-

manis

manis dolor, qui tangit cor Dei intrinsecus, velut romphæa bis acuta. Quod hic leuamen mœroris? Accedebant perplexæ (vt ita dicam) cogitationes, & consilia, hinc à iustitia, inde à misericordia: & erat inter tot impios Loth innocens. Perderétne istum cum illis, an omnibus propter hunc, & fratrem eius parcat diutius? Denique vt exqueretur, quod vellet, quódque omnino decreuisset, occasio requirebatur: cuius vt offerendæ modi non deerant infinitæ sapientiæ; longè tamen ex omni parte Deo dignior erat is, quem interuentu Abrahami inuenit; præsertim quia ad ipsum quoque res videbatur spectare. Usus est igitur amicitiae iure, & re cum Abrahamo communicata, iusti doloris lenimen quæsiuit; eiusque tam sapiente ac piâ, quàm reuerentiæ & confidentiæ plena intercessione, & commonitione audita, stabilivit sententiam, quæ adhuc pendere videbatur, cum diceret; *Descendam, & videbo, virum clamorem, qui venit ad me.*
opere

CONSIDERATIO XIII. 93

*opere compleuerint, an non est ita, ut
sciam.* Ac denique tam æquis, ac mo-
deratis petitionibus Abrahæ, ut parce-
ret, si vel decem iustos inueniret, pul-
cherrimè expediuit, quod voluit: ut
toti mundo constaret, quàm iustè,
quàmque simul ægrè ad ea iustitiæ ex-
empla descenderit, qui tot improbis
etiam propter decem voluerat parcere.
Huius generis infinita sunt exempla,
ut suas querelas, ac desideria Deus cre-
dat amicis; ut consilia conferat; ut de-
nique plurima per eos agat, quæ minùs
dignè, aut conuenienter per seipsum
fecisset tanta Maiestas. Ita per Aposto-
los erudit mundum, per alios alia me-
dia humanæ salutis expediuit: ita cum
simplicibus sermocinatio eius de his,
quæ abscondit sapientibus: ita sua de-
sideria, gaudia, fastidia exponit amicis.
Eosdem fructus longè vlteriùs ex ipsius
amicitia colligunt homines; quod me-
liùs prolixiore consideratione, quàm
expositione nostrâ intelliges: atque id
simul, quanti hanc amicitiam, quanti
Gra-

Gratiam, eius conciliatricem oporteat
facere.

CONSIDERATIO XIV.

*Animas Deo desponsari per
Gratiam.*

I. **G**Audebit sponsus super sponsam,
& gaudebit super te Deus tuus.
Isa. 62. id est, sicut sponsus su-
per sponsa, ita super te Deus gaudebit.
Amici sunt duo in anima vna; sed spon-
si etiam in carne vna. Itaque iam non
sunt duo. Ergo maior hic amor, quia
maior est vnio. Propter hoc dimittet ho-
mo patrem suum & matrem suam; & ad-
harebit uxori suæ. *Matth. 19* Ita Christus
dilexit Ecclesiam. *Ephes. 5.* & in ea
quamlibet animam, Gratiâ Dei ful-
gentem. Propter eam dimisit Patrem &
Matrem. Quia verò sponsus, & sponsa
non sunt duo, sed quasi vnus integer,
& completus homo, quoad vitam do-
mesticam, mores, gubernationem, ac
procreationem liberorum; ita vt spon-
sus

CONSIDERATIO XIV. 99

sus caput sit, ac sponsa corpus, & instrumentum capitis: ideo *qui suam uxorem diligit, seipsum diligit.* ait Apostolus: nemo enim vnquam carnem suam odio habuit, sed nutrit & fouet eam: sicut & Christus Ecclesiam. Qui & seipsum tradidit pro ea, vt illam sanctificaret, mundans lauacro aquæ in verbo vitæ; vt exhiberet sibi ipsi gloriosam, non habentem maculam, neque rugam, aut aliquid huiusmodi; sed vt sit sancta, & immaculata. Super qua etiam gauisus est, & tanquam sponsus procedens de thalamo suo, exultauit vt gigas, ad currendam viam, vt eam sibi emeret & adduceret. A summo calo egressio eius.

Nec deterret eum pristina leuitas illius, ac turpitude, quâ aliquando secuta est multos amatores, sed clamat; *Conuertimini filij reuerentes; quia ego vir vester, & assumam vos. Ierem. 3.* Non deterret vilis conditio eius, sed sicut Esther è filiabus captiuitatis habuit gratiam, & misericordiam coram Assuero, &

&

& fecit eam regnare in loco superbæ
 Vasthi; ita Deus animæ, cum Gratia,
 suam pariter nobilitatem, & honorem
 impertit. O Esther! ô abscondita & oc-
 culta! hoc enim significat nomen Es-
 ther. Ut antea incognita eras præ vi-
 lirate, ita nunc nemini satis cognita est
 felicitas tua. *Memorare dierum humili-
 tatis tuæ. Esth. 15.* Et quomodo decora fa-
 cta es vehementer nimis, & profecisti in re-
 gnum. *Ezech. 16.* Adamavit te rex, plus
 quam omnes mulieres. *Esth. 2.* & blan-
 ditur tibi; *Quid habes? ego sum frater
 tuus; noli metuere. ibid. 15.* *Quæ est peti-
 tio tua, ut detur tibi, & quid vis fieri?
 etiamsi dimidiam partem regni mei petier-
 is, impetrabis.* Et cur dimidium petas,
 quæ totius est consors?

II. *Sponsabo te mihi in sempiternum,
 & sponsabo te mihi in iustitia, & iudicio, &
 in misericordia, & in miserationibus. O-
 see 2.* Omnia officia sponsi Deus exa-
 ctissime implet, Miserationum nomine
 illa significans. Primò enim non est, ut
 anima ipsa postulet quidquam ad or-
 natum

CONSIDERATIO XIV. 97

natum pertinens, *Esth. 2.* ipse enim Deus
eam adornat. *Apoc. 21.* Vnde ait *Isa. 61.*
Gaudens gaudebo in Domino, & exultabit
anima mea in Deo meo; quia induit me
vestimentis salutis, & indumento iustitiæ
circumdedit me, quasi sponsam ornatam
monilibus suis. De quibus etiam B. Agnes
gloriabatur: Dexteram meam, & col-
lum meum cinxit lapidibus pretiosis:
tradidit auribus meis inestimabiles
margaritas; & circumdedit me vernan-
tibus, atque coruscantibus gemmis. Po-
suit signum in faciem meam, ut nul-
lum, præter eum, amatorem admittam.
Deinde sponsam erudit, ac docet, quæ
ad gubernationem familiæ; quæ ad
ipsius animæ decus ac salutem perti-
nent; quæ denique sponso grata, & ac-
cepta sunt. Nec dissimulat aliquid eo-
rum, quibus aut ipsum offenderit, aut
melior fieri possit; sed amanter omnia
docet. *Ego Dominus Deus tuus, docens te*
utilia; gubernans te in via, quâ ambulas.
Isa. 48. Imò nec abscondit secreta, quæ
nouit, aut quæ cogitat facere. *Amos. 3.*

F

Quia

*Quia non facit Dominus Deus verbum, nisi
reuelauerit secretum suum ad seruos suos.*
Tertiò peculiarem, & præcipuam cu-
ram eius habet, abunde ipsi prospiciens
de omnibus, ad vsum & oblectationem
spectantibus; quia *nutrit & fouet eam,*
tanquam suam carnem; ab omnibus
malis eam defendens ac liberans; in
omnibus laboribus & molestijs ei succu-
rens, ac porrigens manum; etiam
supra naturæ leges & modum. Quarto
sponsus omnia bona sua cum sponsa
communicat; nihil ei clausum habet;
nihil ab ea separatum: non opes, non
domum, non mensam, non lectum, non
ipsam suam personam. Sic Deus o-
mnium bonorum suorum vsum conce-
dit animæ iustæ. *Omnia enim vestra sunt,*
ait Apostolus 1. Cor. 3. *sive Paulus, sive*
Apollo, sive Cephas, sive mundus, sive vitæ,
sive mors, sive præsentia, sive futura. Omnia
enim vestra sunt: vos autem Christi: Chri-
stus autem Dei. Denique promptius, &
acrius vlciscitur iniurias illatas ipsi,
quàm sibi: vt patet ex multis historijs,
Quintò

CONSIDERATIO XIV. 99

Quintò varijs modis oblectat spon-
sam, & exhilarat, vt cælestibus recrea-
ta delicijs, nihil de viuendi amoris dul-
cedine vnquam remittat. Facit hoc
Deus, testimonium bonæ conscientiaë
intus ei perhibendo; excitando singu-
larem erga se fiduciam, ac spem salutis
æternæ; præsentiam ei suam exhiben-
do, vt deficiens dicat; *Valde mirabilis
es, Domine, & facies tua plena est gratia-
rum. Esth. 15.* Iam tuum est, sponsa, vt
sponsum vicissim oblectes; nihil ab eo
separatum habere velis; prouida sis in
omnia eius obsequia; in omnibus eius
institutionem obserues, teque ipsi ad-
ornes. Nam *quæ nupta est, cogitat, quomo-
do placeat viro. 1. Cor. 7.*

III. Dixit Lia: *Hoc pro beatitudine
mea. Beatam me quippe dicent. Genes. 30.*
Tria bona memorantur humani coniu-
gij; Sanctitas siue Inseparabilitas, Fi-
des, ac Proles: quæ tamen totidem de-
trimenta non parùm imminuunt, Ho-
nestatis, Libertatis, ac Puritatis: siue vt
alij recensent, Voluptas, Seruitus, ac

Solicitude. In connubio Gratiæ manet
 summa Ratio, honestas & sanctitas, cum
 inexplicabili Voluptate: Libertas cum
 Societate fidissima: Elos cum fructu:
 Puritas cum Fecunditate. Consideremus
 agetum singula. I. Coniunctio
 animæ cum Deo per Gratiā est longè
 sanctissima, siue inseparabilitatem, ac
 firmitatem vinculi spectemus, siue effectum
 & significationem ipsius. Corporalis
 matrimonij vinculum non nisi
 corporali morte dissolvitur: Gratiæ
 verò non nisi morte animæ. In illo tam
 vir, quàm mulier est mortalis: in isto
 anima sola per peccatum, non Deus.
 Et sic vinculum hoc est firmitus; quia ex
 parte sponsi prorsus indissolubile. In
 illo necessario aliquando solvitur: hoc
 nulla necessitate frangi ac solui potest,
 sed sola voluntate humana; quam ad
 separationem hanc faciendam ne Di-
 uina quidem vis potest cogere. Cum
 ergo nihil à charitate Christi separare
 nos possit, nisi ipsi velimus; neque mors,
 neque vita, neque Angeli, neque Prin-
 cipatus,

CONSIDERATIO XIV. IOE

cipatus, neque præsentia, neque futura, neque altitudo, neque profundum, neque creatura, neque ipse Creator; potestne fieri, vt quisquam separari velit? éstne femina vlla tam demens, vt, cum è fordibus ac seruitute sit assumpta in reginam, vltro petat libellum repudij? vt omnes eius impetrandi occasiones capter, quærátque? O miseranda insania! Et eâ tamen quàm multi laborant? cum sponte peccamus, cum densamus offensas & cruditates nostras erga Deum, quid agimus aliud, quàm vt nausea tædióque nostri permotus, tradat nos cupiditatibus nostris, vt plenum diuortium fiat? Iam sanctitas effectûs & significationis huius sacri connubij maior esse, quæ potest? sacramentum matrimonij facit gratiam, & repræsenter sacrosanctam Vnionem Verbi cum natura humana, & cum Ecclesia. Vtrumque meliùs fit connubio Gratia, quàm coniugali traditione corporum. Per hanc enim fiunt quidem coniuges vna persona moralis,

sicut Verbum & assumpta humanitas sunt vna realis persona, itémque Christus & Ecclesia sunt vnum corpus mysticum, vna persona mystica. Sed non tam sponsa sponso nūritur, quàm anima Deo per Gratiā: nec tam Ecclesia tota animatur à Christo capite suo, quàm anima iusta. Etenim vxor suæ dotis proprietatem retinet, & alia præter dotem non pauca. Sed anima Deo coniuncta dicit, *Gratiā Dei sum id, quod sum*, Ecclesiæ membra non omnia parem vitæ spiritualis influxum habent à Christo; nam sunt aliqua charitatis expertia. Sed iustus dicit: *Benedic anima mea Domino; & omnia, quæ intra me sunt, nomini sancto eius*: quia omnes animæ partes coronantur in misericordia & miserationibus. Beatus, qui omnes animæ suæ fibras, influxu vitali à Christo capite suo animatas, conseruat.

2. Fides matrimonij corporalis magna esse debet, non tamen est semper: nunquam autem est sine maxima seruitute: vt de Zelotypiæ malo pessimo iam non dicam,

dicam. Sed in connubio Gratiae quanto fidelior est anima Deo, tanto liberior. Quia tanto minus possunt in eam Errores, Terrores, Illecebræ, & alia omnia, quibus impeditur libertas, & mens ligata raptatur in decisa. Contrà verò crescit animi sapientia, potestas & amor, quibus libertas augetur, & expeditur, ut agat pleniore arbitrio. Et quomodo possit esse felicior, quàm si tota sit in potestate amantissimi Sponsi, ac Domini? Si hoc non intelligit, respiciat mancipia cupiditatum, vitiorum ac dæmonum; quanta sit illa servitus, cum summa perfidia. Deus autem, licet amore suo complectatur omnes animas iustorum, singulas tamen sic amat, ac tantâ fide, ac si solas amaret. Neque enim singulas amaret magis, si solas. Quin imò, si focias non dedisset, minùs forsitan, quàm nunc, amare posset: ut S. Thomas notat *opusc. de dilect. c. 15*. Non potest hoc homo, qui plures habet sponfas. Vnde non est, quòd anima sollicita sit de imminuto amore Dei,

cum distributus est; dicatque cum Esther c. 4. *Ego igitur quomodo ad regem intrabo, quæ triginta iam diebus non sum vocata ad eum?* 3. Denique humani matrimonij fructus incertus est, & præter iacturam integritatis, maximam sollicitudinem affert. Ut taceam, quod mulier, cum parit, tristitiam habet, & in dolore filios parit. Gratia fructus certissimi, dulcissimi, pulcherrimique sunt, & copiosissimi; non sollicitudinem afferentes, sed iucundissimam securitatem. Fecundat enim, ait S. Thomas, animam per Gratiā, progrediturque bonorum operum proles ab ambobus venit. Similis est Gratiā Dei in anima nostra, teste S. Ephrām, horto regio, pulchris arboribus, & fructibus bonis pleno, qui tum sapore, cum odore, tum iucunditate & pulchritudine sua, mirificam cunctis sensibus delectationem, & recreationem afferunt. O beata illa anima, quæ operibus diuinæ Gratiæ resplendet! illustratur enim eius splendore, afficitur dulcedine, contemplationis

CONSIDERATIO XV. 105

tionis ac suauissimi illius odoris gaudio perfunditur. O misera verò illa, quæ Deo pro pulchra prole monstra parit; & ea quidem ex adulterio concepta: id est, è suggestione diaboli, carnis, aut mundi. Quid factum esset reginæ Esther, si talem Assuero prolem dedisset? Custodi cor tuum, ô anima, Sponsa Spiritûs Sancti, vt non nisi ex inspiratione ipsius conceptos fructus edas, Deo dignos ac similes.

CONSIDERATIO XV.

Gratiâ filios Dei fieri.

I. **I**psæ enim Spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quòd sumus filij Dei. Si autem filij, & heredes: heredes quidem Dei, cohæredes autem Christi. Rom. 8. Efficimur autem filij, cum iusti efficimur; quæ vt S. Concilium Tridentinum s. 6. c. 4. dicit, est translatio ab eo statu, in quo homo nascitur filius primæ Adæ, in statum Gratiæ, & adoptionis filiorum Dei, per secundum Adam,

F

IESVM

IESVM Christum Saluatorem nostrum.
 Hec sunt illa magnalia, quæ toties cum
 admiratione commemorant Apostoli,
 & SS. Doctores. Quis intelligendo as-
 sequetur hunc effectum Gratia? Status,
 in quo nati sumus, status fuit infandæ
 seruitutis, ineuitabilis iræ, ac damna-
 tionis æternæ; status miseriarum o-
 mnium, & ignominia. Ab hoc solo si
 liberaret nos Gratia, quantum id esset?
 quanti faciunt Rei liberationem inex-
 spectatam ab ultimo, certissimoque
 supplicio? Nunc insuper ex inimicis
 Gratia domesticos facit, & filios, & hæ-
 redes, non pinguis patrimonij, non Im-
 perij Romani; sed hæredes Dei Omni-
 potentis, & cohæredes Unigeniti sui,
 Fingamus fieri posse, vt Deus, seu spon-
 te, siue coactus, omnibus suis bonis ac
 regno decedat: quæ felicitas esset, ei
 succedere? Iustus ei per Gratiam, sine
 omni fictione succedit. Fingamus iura
 Diuinitatis, & naturam ipsam, qua-
 cunque demum ex causa, transferri in
 alium; quæ dignitas erit eius compo-
 tem

potem fieri? Fit reipsa compos, quis-
 quis accipit Gratiā Spiritūs Sancti.
 Gratiā facit filios Dei, ait S. Ambrosius
l. de Spir. S. c. 4. Quid igitur illi? Vtique
 nunquam humana mirabitur, quisquis
 se cognouerit filium Dei. Deijcit enim
 se de culmine generositatis, inquit S.
 Cyprianus *lib. de Spectac.* qui admirari
 aliquid, post Deum, potest. Quod si,
 teste S. Augustino 3. *de Ciuit. 4.* Varro
 putauit vtile esse ciuitatibus, vt se viri
 fortes, etiam si falsum sit, credant ex
 dijs genitos esse; vt eo modo animus
 humanus, velut diuinæ stirpis fidu-
 ciam gerens, res magnas aggrediendas
 præsumat audaciùs, agat vehementiùs,
 & ob hoc impleat ipsa securitate feli-
 ciùs; homines iusti, qui verè sunt filij
 Dei, despicient suam profapiam? obli-
 uiscentur vnquam, se, cùm vescuntur,
 exercentur, incedunt, nutrire Deum, exer-
 cere Deum, inferre Deum? audebunt in
 seipsis illum, quem gestant, inquinare
 cogitatione vlla, vel actione degeneri?
Si quis loquitur, quasi sermones Dei. Si quis

administrat virtutē, quasi virtutem, quam administrat Deus. ait Apostolus 1. Pet. 4. Sed & illud recogitent, cohæredes se factos Christi: cui Pater æternus ideo multos fratres adoptat, conformes fieri imaginis Filij sui, *ut sit ipse primogenitus in multis fratribus.* Rom. 8. atque ita gloriosior fiat, dum inter totidem reges ac deos, quasi gigas, inter fratres minores excellens, triumphat; non imminuta per eorum participationem gloria regni sui, sed auctâ. Ergo si propria eos non excitat, saltem eius, propter quem ad hoc decus euecti sunt, gloria stimulet, *ut tanto loco pares se gerant.* *Charissimi, filij Dei sumus: & nondum apparuit, quid erimus.* Omnis qui habet hanc spem, sanctificat se, sicut & ille sanctus est. 1. Io. 3. Ego dixi, *Dij estis, & filij Excelsi.* Non ergo degeneremus ab excelsis cogitationibus.

II. *Voluntariè enim genuit nos verbo veritatis, ut simus initium aliquod creature eius.* Iac. 1. Multum excedit adoptio filiorum Dei naturalem conditionem filio-

filiorum hominum. Nam si de adopti-
 uis loquamur, sola opinione, non au-
 tem re ipsa sunt filij; neque aliquid pa-
 tris adoptantis acquirunt, præter exter-
 nas fortunas. Quos Deus adoptat, hos
 regenerat, ac sibi similes facit, ut sint
 noua creatura: suum ipsis impertit
 Spiritum, & ius dat propriorum, inter-
 norumque bonorum, quibus ipse bea-
 tus est. Vnde etiam Diuina hæc adoptio
 multum superat ipsam generationem,
 seu naturam humanam. Nam in hac fi-
 lio pater dat parum admodum sui, vi-
 delicet superflui sanguinis: neque
 aliud facit in eo, quam nonnullam cor-
 poris præparationem ad animam, im-
 mittendam à Deo. Deus autem ijs, quos
 adoptat, & naturam suam, & Spiritum
 Diuinum largitur, ut non tam adoptio-
 ne, quam natura sint filij, quia *ex Deo
 nati sunt. Io. 1.* & Deus nos genuit, ut
 non solo nomine & opinione filij, seu
 profilij simus; sed noua essentia, noua
 forma, noua creatura, quæ intus nos
 renouat, ut simus principium quod-
 dam,

dam, seu principatus, & primitiæ creaturæ eius; primi, & honoratissimi; nobiliores omnibus eius operibus, iam ergo si satis grati esse non possumus pro eo, quod non cuiuscunque opificis, sed Dei creaturæ simus, ad eius imaginem & similitudinem facti; quantum ipsi debemus ex eo, quod operum ipsius principium ac præcipui simus, Spiritu Diuino donati? Accedit, quod non tantum nos genuit, sed *voluntariè*, summa liberrimæque voluntate, & electione nos genuit. Non est in hominis voluntate, quem, & qualem filium generet. Optare potest: eligere, faceréque pro voto non potest. Adoptiuos homo eligit quidem, sed quos inuenit factos ad genium suum: ipse tales non facit. Denique non merâ voluntate adoptat, sed necessitate quadam, & filij naturalis defectu; quia vel nullum habet, vel non qualem desiderat. Omnia in Deo sunt alia. Nulla ipsi necessitas est nos adoptandi, cum habeat in sinu suo Vni-
genitum, in quo infinitè complacet sibi,
per

CONSIDERATIO XV. III

per omnia vnum cum ipso. Sed abundantia bonitatis, & studio communicandi bona sua immensa, eligit sibi extraneos; & adoptat, quos minimè dignos; imò oppidò quàm indignos inuenit: eosdè que Gratia sua ornatos, ac translatos in diuinam naturam, facit ista conditione dignissimos. Sanè si beneficia dandi voluntate pensamus, hoc tantum beneficium, tantà Dei voluntate, quantum excrescit? *Videte, qualem charitatem dedit nobis Pater, ut filij Dei nominemur, & sinus ait charitatis Apostolus.*

III. *Afer, pinguis panis eius: præbebit delicias regibus. Genes. 49.* Videamus, quali cibo Deus educet adoptiuos hos reges: quàm delicato, pretioso, & exquisito. Nimirum Corpore & Sanguine Vnigeniti sui, Panem cæli dat eis: lac humanitatis, & mel Diuinitatis sub lingua eorum, *Cant. 4.* Hic est adeps & pinguedo, quàm repletur anima eorum: hic vitulus tenerimus, & optimus, quem apposuit Abraham hospitibus suis cælestibus.

lantibus. Hic cibus regius, quo pueri
 aluntur tribus annis vite istius, vt postea
 fient in conspectu regis æterni. Quis vn-
 quam pater, quæ vnquam mater sic enu-
 triuit filium vteri sui? quanta hoc ma-
 gnificientia Dei erga suos filios? quan-
 tus amor ac teneritudo Mentis immen-
 sæ? Hoc Gratia facit: hoc est Sacra-
 mentum Gratia. Neque tantum hoc
 spectat, qualiter se deceat alere suos fi-
 lios; sed etiam vt formâ, & indole fiant
 egregia, ac diuina: eadem scilicet,
 quam habet Unigenitus eius. Nam hu-
 ius omnino spiritus, ac mores vult as-
 sumi ab eis: ideo ipsius corpore saginat
 eos, ac sanguine, vt omnino transfor-
 mentur in ipsum. Est hic cibus & po-
 tus, vt Albertus monet in *tract. de Euch.*
 non pretiosissimus tantum ac lautissi-
 mus; sed etiam ipsis maximè congruus,
 Etenim Saluberrimus est; quia ab omni
 infirmitate sanat, ac præseruat: est Ef-
 ficacissimus; quia vigorem, & radium
 immortalitatis ingenerat, & mandu-
 cantem transfert in suam naturam: est
 Ali-

CONSIDERATIO XVI. 113

Alibilissimus; quia penetrat omnes partes hominis, eique se per amorem agglutinat, firmissimèque adhæret: est Sapidissimus; quia spiritus eius super mel dulcis, & hereditas eius super mel & favum. Eccles. 24. est denique cibus & potus nobilissimi succi & spiritus. Iam quid dicemus de vestimentis salutis, quibus filios suos Deus exornat? quid de præclarissimo magistro, cui dat institutos; ipso Spiritu Sancto? quid de artibus regijs, ad quas illos exercet?

CONSIDERATIO XVI.

*Gratiam facere, ut homo sit
Templum Dei.*

I. **M**embra vestra templum sunt Spiritus Sancti, qui in vobis est. I. Cor. 6. Constans est SS. Patrum atque Doctorum sententia, cum Gratia Spiritum Sanctum inhabitare animas iustas; ut liberè non solum dono creato, sed etiam ipsa personâ Divinâ fruatur; & hanc esse vim Gratia, ut illas ad
eius

eius possessionem disponat: vnde etiam *Pignus Spiritus* appellatur 2. Cor. 1. Quare si Spiritus Sanctus, quod fieri nequit, per diuinitatem & immensitatem suam non esset vbique, tamen vi Gratiae inciperet esse in iustis: & ita quidem, vt ipsi tribuantur actiones eorum. *Non enim vos estis, qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis. Matth. 10. qui operatur in vobis. 1. Thess. 2.*

Quænam hæc, obsecro, tanta vis Gratiae, quæ infinitum Bonum, Consolatorum & Glorificatorem Sanctorum secum adducit? quæ doni creati præstantia, vt attrahat Creatorem? quid tandem est tale in rebus humanis, quod tanti, vel paris boni sit causa, vt præferri, aut æquiparari possit Gratiae Dei? Aut cuius tandem rei damnum par esse potest? nam fortunarum, honoris, aut voluptatum, pro quibus tam facile sæpe profundimus Gratiā, aut negligimus certè? Imò cum earum rerum iactura lucrum afferat Gratiae, quare non beatos nos reputamus, quando exprobramur in nomine

mine Christi? *Quoniam quod honoris gloria & virtutis Dei, & qui est eius spiritus, super nos requiescit: ut ipse nobis testatur 1. Pet. 4. Negligat sanè quis iacturam Gratiae; pro nihilo ducat summum hoc bonum: at iacturam Sancti Spiritus quis non sentiat? Eritne qui dicat; Apage Spiritus Diuine: centum hinc, à meo corde, milliaribus migra: nolo te retinere in pectore meo: Voluptatem illam, lucrum illud, fauorem illius hominis praebeo tibi. Nunquid ad eiusmodi verba caelum ac terra sese concuterent? Et eheu tamen quotidie, non vnus, sed quamplurimi, si non verbis hæc dicunt, saltem longè atrocioribus rebus, eandem sibi mentem esse declarant; & violant illum propter pugillum hordei, & fragmen panis, ut interficiant animas suas, spiritu vitali expulso. Ezech. 13.*

Semel dedit Filium suum Deus pro omnibus hominibus, ut cum eis conuersaretur in carne; atque hoc ad certos annos. Et si quotidie dat eundem singulis

lis

lis in Sacramento, non longo tamen tempore moratur in illis. Sed Spiritum Sanctum ita singulis donat, vt semper cum eis, & in eis permaneat, velut in templo, ac dulci habitaculo suo. Quantæ irreuerentiæ fuerit eum expellere, vel contristare, vt abire cogatur? Si quis Sacerdos impius, manibus gerens Corpus Domini, pro eo, vt honorandum exhibeat, ignominiosè abijceret ac proculcaret, quis tam ferus erit, vt non cohorreat, ac totis artibus contremiscat? Neque tamen vllus inferretur Corpori Dominico dolor. At Spiritum Sanctum, tertiam in Sacrosancta Trinitate personam, quæ cum Patre & Filio meritò simul adoratur & conglorificatur, sunt qui verè contristent. Ita enim Apostolus monet *Ephes. 4.* ne id faciant: & addit, quomodo fiat; omni amaritudine, irâ, indignatione, clamore, blasphemiâ. Mundissimus est hic Spiritus: facilè contristatur, & pellitur. Columba olim, coruo infidente corporibus putrescentibus, citò in arcam reuersa est.

Vsq̃ue

CONSIDERATIO XVI. 117

Vsq̃ue adeò Spiritus Sanctus carnem, omnemque affectionem carnis auersatur, vt scribant SS. Patres, necessarium fuisse, sacratissimam carnem Domini discipulis auferri in celum, vt Spiritum Sanctum possent accipere. *Si enim non abiero, Paraclitus non veniet. Io. 16.* Si affectio erga illam carnem benedictam, vtique non absurda, sed iusto maior, impedire potuit Spiritum Sanctum; qui tamen est Spiritus amoris: quid faciet inconditus amor profanæ carnis & sanguinis?

II. *In hoc cognoscimus, quoniam in eo manemus, & ipse in nobis, quoniam de Spiritu suo dedit nobis. 1. Io. 4.* Dulcis hospes animæ Spiritus Sanctus, non solus est in homine iusto, sed etiam Deum Patrem, ac Filium secum adducit. Facit enim in Sanctis cum Patre & Filio mansionem, intus vtique, tanquam Deus in templo suo. *Deus Trinitas, Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus veniunt ad nos, dum venimus ad eos.* inquit S. Augustinus. Ita Dominus futurum promisit Ioan. 14. *Si quis diligit.*

diligit me, sermonem meum seruabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus. Admiranda potentia Gratia. Desiderat fortè quis vestrum, ait S. Chryso-
hom. 27. ad Hebr. gratiam habere impe-
randi Soli & Lunæ. Sed si consideremus,
quod Christus nobis promisit, longè
maius est, quàm retrotrahere Solem,
aut Lunam. Ait enim se, cum Patre,
venturum ad nos, dominumque Solis,
& omnium rerum, mansurum nobis-
cum. Cui fauori quis comparer illud
miraculum Solis? Quid mihi opus est So-
le, & Lunâ, & his miraculis, eum ipse om-
nium Dominus ad me descendat, & apud
me firmus maneat, & stabilis? Et quare
hoc faciunt sacrosanctæ Personæ Di-
uinæ? quid apud nos inueniunt amœ-
nitatis, cur apud nos manere velit in-
finita Maiestas? qualem paradisum?
quod nouum cælum empyrio pulcrius?
Gratia, Gratia inquam, est, quæ allicit,
& attrahit illos: Gratiam sequuntur.
Gratiâ existimant parari se dignum ha-
bita-

CONSIDERATIO XVI. 119

bitaculum cor hominis, quod prius
erat spelunca scelerum, & viperarum
infernaliū. Gratia tale Deo palatium
adornat, quod placeat ei prae paradiso,
ac caelo. Gratia thalamum Deo, thro-
nūque magnificentia diuinā dignum
instruit, in quo iucundissime tres Diui-
nae Personae confideant, & conquie-
scant. O igitur abominanda malitia ho-
minum, per lethale peccatum eas de
folio suo pellentium! quis ferat, si quis,
rege terreno insidente, folium eius
euerrat, vel conspurcet? quis ausus
fuisse euertere praeseptum Christi, ac
Diuinum infantem in terram effunde-
re ante ora bouis, & asini? quid ergo
meretur, qui certā fide credit, in corde
suo residere tres Diuinas personas, &
eas inde voluntario peccato, quasi luto
proiecto, ignominiosè expellit?

III. *Vt Societas nostra sit cum Patre, &
cum Filio eius, IESU Christo. 1. Ioan. 1.*
Contingit reges terrenos diuertere in
domicilium alicuius è subditis; non
protinus tamen ineunt Societatem cum

eo : sed debet is cedere domo sua, neque adire eam rege præfente, nisi trepidè fortè, vt seruiat. Non ita pomposè hospitatur Deus in corde hominis iusti; sed ita, vt ineat societatem cum eo. Societas æqualitatem significat. Quænam hæc dignatio, vt homo fiat socius Dei Patris, & Filij, & Spiritûs Sancti? Ioseph, Daniel, & Mardocheus erant non socij, sed secundi à regibus suis: quæ ingens gloria ipsorum, & populi Hebræi felicitas fuit. Gratia Diuinarum personarum socios facit. Felices, si suam dignitatem agnoscant, & leges societatis istius. Eius Dionysius Carthusius in cit. loc. Ioan. recenset in hunc modum. Socij appellantur, qui libenter sunt simul, & familiariter colloquuntur; separationis quoque sunt impatientes, atque ad specialem unionem aspirant: qui & secreta sua sibi inuicem pandunt; fidelitatem simul conseruant; de mutua iucundantur præsentia; & in actibus suis communicant: quoniam eadem libenter efficiunt. Imò sibi inuicem cooperantur, & mutuo opem impendunt.

dunt; & unus prosperitatem cupit alterius.
 Seruat hæc studiosè Deus cum homine
 iusto, & homo, si rectè consulat sibi,
 cum Deo. Nam studet ei semper ad-
 hære, colloqui familiariter & assidue:
 separari ab eo non sustinet, sed moli-
 turei semper magis vniri: effundit co-
 ram eo totum cor suum: fidelis est ei;
 delectatur eius præsentia: imitatur
 actiones ipsius; cooperatur, & omnia
 sua impendit; neque aliud, quàm eius
 gloriam, & voluntatem impleri desi-
 derat. O quanta est ista, inquit Diony-
 sius, rationalis creaturæ nobilitas, ha-
 bere cum Diuina natura consortium,
 atque cum proprio Creatore societa-
 tem sortiri! Studeamus proinde mo-
 dis prædictis societatem habere cum
 Deo, qui sicut Esau ad Iacob, ita ad iu-
 stum dicit: *Gradiamur simul, erò-*

que socius itineris tui. Ge-
nes. 33.

G

CON

CONSIDERATIO XVII.

*Per Gratiam fieri nos unum
cum Deo.*

I. **Q**ui autem adheret Domino, unus spiritus est. 1. Cor. 6. Non satis est, hominem per Gratiam fieri templum Spiritus Sancti; sed insuper fit etiam vnus Spiritus. Quoniam altius aspirare potest animus hominis, quam vt vnus cum Deo spiritus fiat. Multum erat, spiritualem, aut similem Deo spiritum fieri: liberum scilicet à fece ac mole terrena, cui nullus murus obstat, nullum corpus officiat; quique ita rebus istis intersit, vt minime tamen detineatur ab illis; sed libera omnes mente transcendat, digna se gerens. Verùm Gratia non modò similitudinem istam cum Domino facit, sed Vnitatem: quia non ipsamet Gratia solum est participatio, & expressa quaedam forma, siue imago naturæ Dei, qui Spiritus est; sed etiam facit, vt eodem

CONSIDERATIO XVII. 123

dem spiritu vitali viuat anima, quo
Deus ipsemet. Nam vt in spiritu vitali
consistit alacritas, vigor & operatio
membrorum ac sensuum, totaque cor-
poris animati qualitas; ita, teste S. Cy-
rillo lib. 14. *Thesauri c. 1. Naturalis que-
dam virtus, vigor, & (vt ita dicam) quali-
tas Deitatis est Spiritus Sanctus.* Qui eti-
am propterea Virtus Altissimi dicitur,
& Oleum lætitiæ, Vnguentum Odor-
que substantiæ Dei; qui toto quasi cor-
pore Diuinitatis diffusus, & intus illam
perungit, & exhalans foris omnia re-
creat sua fragrantia. Eodem planè, non
alio spiritu viuificatur anima Deo gra-
ta. Vide autem, quanta sit hæc digna-
tio. Si quem rex omnium potentissimus
ita diligeret, vt non regia solùm orna-
menta, sed & mores, ac sensa regij pe-
ctoris in eum transfunderet; insuper
etiam suo spiritu afflans, daret ei non
alia, quàm suamet regis animâ viuere,
quantæ id felicitatis & gratiæ foret?
Quod nullus rex terrenus potest; aut
etiam vellet, si posset, hoc Regi seculo-
rum

rum immortalī solemne est : hoc potest, vult, facitque, non cum vno aliquo, sed cum omnibus, quos recipit in gratiam. Suomet Spiritu Sancto eos animat, vt verissimè dicant; *In ipso uiuimus, mouemur, & sumus.* Cessent igitur alia desideria: cesset inanum vocabulorum ambitio. Huc suas cogitationes aduertat cor hominum. Non alibi maior felicitas, non dignitas isti æqualis confertur. Spiritum diuinum consecuti, nihil aliud spirent, quàm Deum. Alexander Macedo suauem suo corpore odorem effundebat, propter sui spiritus vitalis purissimi feruorem, in corpore bene constituto: & carnes animalium, salubribus herbis pastorum, earum odorem & saporem habent. Quid est ergo, quin & nos meliore diuini Spiritus vnguento delibuti, saginati medullâ & pinguedine Deitatis, Christi bonus odor simus, & labia nostra sint fauus distillans?

Il. Sicut tu, Pater, in me, & ego in te, vt & ipsi in nobis vnum sint, Ioan. 17. Tantū fuit.

CONSIDERATIO XVII. 125

fuit hæc Vnitas iustorum cum Deo, vt
Christus pro ea singulariter supplica-
uerit Patri, ante Passionem suam, effica-
cissimis modis: nec dubium, quin
impetrauerit. Vt *unum sint*, inquit: non
quasi plura vnita, sed vnum è pluribus.
Et quomodo vnum? Sicut Pater in Fi-
lio, & Filius est in Patre. Sic autem in
se mutuò sunt Sacrosanctæ Personæ,
vt altera alteram ornet, eiúsque perfe-
ctionem compleat: sicut declarant
Theologi. Atque hoc non solùm ratio-
ne naturæ, voluntatis, & operationis
communis; sed etiam personalis pro-
prietatis sine confusione, & distinctio-
ne seruata. Nam sic Pater est in Filio,
vt Lux in suo candore, vt Vultus in spe-
culo, vt Mens in verbo, & vicissim Fi-
lius in sinu Patris, vt Verbum in mente,
vt Imago in suo prototypo, vt Fructus
& Germen in arbore, vt Facies & Figu-
ra in substantia Patris. Sic & Spiritus
Sanctus est in vtroque, vt Amor in
amante, vt Spiritus in spirante, vt inef-
fabilis Complexus, Felicitas & Suauitas

tas vtriusque. O adoranda simul, & admiranda, trium Personarum coniunctio! audétne vlla creatura se illi miscere, & aspirare ad illam? Pater in Filio requiescit, vt in Tabernaculo Sapientiæ suæ; Filius est in sinu Patris; Spiritus Sanctus omnia scrutatur, ac penetrat, etiam profunda Dei. Potéstne simile quid absque temeritate cogitari de homine? Potest omnino cogitari, & obtineri simile quid, etsi non æquale. Filius id impetrauit à Patre, vt quod est in Personis diuinis per naturam, iustis eueniat per gratiam. Ac tres quidem Personas in homine Deo grato residere, iam suprà vidimus: ipsum autem hominem etiam habitare, & vnum esse in illis, quidam *profectus est Vnitatis*, vt S. Hilarius loquitur *l. 8. de Trin.* & augmentum, omnem prorsus æstimationem excedens. Etenim si homo iustus ita est vnum in Deo Patre & Filio, sicut alter eorum est in altero, sequitur, vt existiment suæ dignitati aliquid ab eo splendoris externi accedere, neque
 sine

sine eo completam vndique suam per-
 fectionem. Ita certè Pater æternus ad
 suam Paternitatem etiam hunc sibi fi-
 lium assumere dignatur; etiam hunc
 suæ Fecunditatis fructum proferre, hoc
 etiam suæ Bonitatis sigillum propone-
 re; hunc etiam Gloriæ suæ radium &
 splendorem ostendere; hanc etiam sui
 Cordis eructationem audiri vult, &
 isto quoque nomine ipse agnosci. Vni-
 genitus autem hunc sibi Parentem nund-
 cupat in Euangelio; & vt sit Primoge-
 nitus Dei, gloriatur hoc fratre: vt per-
 fectus sit liber vitæ, huius nomen con-
 tinet; nec ex ore Dei procedit, nisi cum
 amabili cognitione illius. Denique Spi-
 ritus Sanctus, sic Amor esse vult Patris,
 ac Filij, vt etiam sit hominis iusti; sic
 ambos coniungere, vt & istum subiun-
 gat amplexu; sic apparere vult Digi-
 tus Dei, vt non sit absque hoc annulo,
Ierem. 22. Sic esse Donum Dei, vt non
 careat hac vbertate. Nam per compre-
 hensiuam omnium bonorum, specia-
 lem autem Gratia & iustorum cogni-

tionem, dilectionemque. *Regalis dignitas à Patre, per Unigenitum, ad Spiritum Sanctum permanat.* vt loquitur S. Basilii *l. de Spir. S. c. 18.* Quid ergo nos poterit ab hac vnitate separare? aut quid æquiparabimus tantæ dignitati?

III. *Ego dixi, Di estis, & filij Excellentes.* *Psal. 81.* Talis est hæc Vnio, vt ipsum sacrosanctum Dei nomen mereatur, quisquis eam adeptus est: quia scilicet nullum aliud nomen ei par inueniebatur. Quidquid enim aliud appellaretur, minus erat; cum nullius rei, infra Deum, nomen excellentiam istam satis exprimeret, & ne à Deo quidem deriuatum sufficeret. Nam etiam id, quod Diuinum, aut Dei esse dicitur, non continuo intelligitur vnum esse in Deo; cum possit esse diuisum, & ignobilius. Gratia verò vnum facit, ac proinde ipsum Dei nomen meretur ac titulum: non pari quidem iure, quo tremenda Diuinitas; aliquo tamen, cui aliud nomen par non sit. Quia nullum est in rebus creatis exemplum, quod

strictis.

CONSIDERATIO XVII. 129

strictissimam hanc, amabilissimamque
unionem adæquet. Ideo Christus ipse
exemplum ab unitate personarum Di-
uinarum accepit; nec aliquo nomine
ad Deum relato est usus, sed absolutè
datum iustis Dei nomen probauit. *Ioan.*
10. qui licet absolutè Deus non sint,
sunt tamen aliquid maius, quàm aliud
quidquam sub Deo. Nam vt S. Cyril-
lus scribit *l. 11. Thes. c. 26.* non tantùm
quoad animas vnum Deo sunt, propter
eundem Spiritum Sanctum, quem ha-
bent Pater ac Filius, & qui est ipse quo-
que Deus; sed etiam quoad corpora:
quæ cum in Eucharistia veram Christi
carnem, atque ita corporaliter Chri-
stum, verum Deum, in cibum accipiant,
vnum efficiuntur cum illo. Quoniam
ait Apostolus *1. Cor. 10. Vnum cor-
pus multi sumus, qui de vno pane, & de
vno calice participamus.* Vnde Christus
ait *Ioan. 17. Claritatem, quam tu dedisti
mihi, dedi eis, vt sint vnum, sicut & nos
vnum sumus.* Claritas ea, Diuinitas est,
quam unitam carni suæ in Eucharistia

130 DE PRÆST. GRAT. DEI

dat iustis; quâ corporaliter vniuntur,
tam in Deo, quàm inter se. Ideo addit;
Ego in eis per meam carnem; & tu in me
per Diuinitatem, ut sint consummati in
unum; dum scilicet plenitudo nostræ
Diuinitatis est in eis etiam corporali-
ter. Nec magis cera ceræ, aut æs auro
liquato infusum, aut aqua vino, cibus
manducanti, venæ sanguini, mem-
brum capiti, surculus insitus arbori, re-
gina regi, spiritus corpori, ferro ignis
vnitur, quàm anima Deo in Eucharistia
per Gratiam. Singularis Regum ac
Principum in terra fauor habetur, si cui
dent habere suum nomen, aut insignia.
Spiritus suum, corpus suum, dignita-
tem suam non dant. Pharaon, cum dat
omnia Iosepho, solium regni sibi refer-
uat. Deus autem iustis non dat modò
sanctum & terribile nomen suum, sed
facit, ut filij Dei, ac Dij nominentur, &
sint, ipsùmque adeò solium regni sui
obtineant. Nec Apostoli soli, & pauci
quidam viri sanctitate mirabiles; sed
omnes omnino, qui sunt in Gratia.

Quia

CONSIDERATIO XVIII. 137

Quia nullum eorum ab hac gloriosa
appellatione excludit: vt S. Anselmus
notauit l. de simil. c. 66.

CONSIDERATIO XVIII.

*Gratiam facere dominos omni-
um rerum.*

I. **Q**uomodo non etiam cum illo omnia
nobis donauit? Rom. 8. Si olim
rectè à sapientibus ille habitus
est omnium ditissimus, qui præditus
erat virtute: quoniam, vt Tullius ait,
nulla possessio, nulla vis auri & argenti, plu-
ris, quàm virtus, æstimanda est: multo re-
ctius ille ditior omnibus Regibus, ac
Principibus esse dicetur, qui habet Gra-
tiam Dei. Hæc enim est longè maioris
precij & æstimationis, quàm sint omnes
res mundi; ipsa etiam virtus, quam an-
tiqui Sapientes nouerunt, vacuam Gra-
tiâ. Is solus diues, ait Clemens Alexan-
drinus pedag. c. 6. qui quæ sunt longè pre-
ciosissima possidet: magni autem precij sunt,
non gemma, non argentum, non vestis, non

G 6

corpo-

corporis pulchritudo, sed Virtus, quæ coniuncta sit Gratia. Nam, ut scribit S. Ambrosius epist. 10. verè diues est, qui in conspectu Dei potest diues videri. Atqui solum illum Deus diuitem nouit, qui sit diues æternitati: ad quam sola Gratia pertinet, & qui cum illa reconduntur fructus virtutum.

Verùm plus aliquid Gratia facit. Etiam rerum istarum, quæ hîc relinquuntur, ac totius mundi dominos facit; ut pro quibus Deus proprio Filio suo non pepercit, sed pro ipsis tradidit illum, Apostolus dicat, ijs non potuisse non omnia simul cum illo donari. *Quomodo non omnia?* inquit: ut indicet euidētissimum esse, quòd non potuerit aliter fieri. Vnde & gloriatus est ipse *ad Philip. c. 4.* se omnia posse. Qui ergo potis est omnium, rectè à S. Bernardo vocatur Omnipotens, ac totius mundi Monarcha, non iure quidem ciuili, sed aliò longè pulcriore & vberiore. Neque enim tantum utilitatis, honoris, aut oblectationis humanus hic dominatus

CONSIDERATIO XVIII. 133

natus totius mundi potest afferre; neque tantum seruire, siue ad demonstrationem potentiaë, siue ad nutum voluntatis, siue ad vsum sapientiaë atque consilij, quantum illi seruiunt omnia, qui est in Gratia: vt adeò principatus iste, velut à Diuino deriuatus est, ita quàm proximè ad illum accedat. Nam hos potissimùm reges ac dominos oportet intelligi, cùm Unigenitus in vestimento & femore suo scriptum habet, *Rex regum, & Dominus dominantium*. Nam à terrenis illis aliqua, longè tamen minor est gloria: cùm & eorum potestas tota regno iustorum & Gratiaë seruiat.

II. *Omnia enim vestra sunt. 1. Cor. 3.* Meritò magnos, & generosos hoc spiritus facere potest hominibus iustis, quorum sunt omnia: omnia inquam, siue mundus, siue vita, siue mors, siue presentia, siue futura. Neque hoc vno solum titulo. Nam 1. animos iustorum per Gratiā Deo desponsari ostendimus. Sicut ergo Deus est *Dominus totius creaturae, Iudub. 9.* ita etiam sponsis eius

communicatur hæc dignitas. Quia etiam iure humano constat, mulieres honore maritorum erigi, & genere nobilitari *l. fin. C. de incolis, lib. 10. & l. 13. C. de dignit. lib. 12.* & nuptas clarissimis personis, eadem dignitate & appellatione gaudere, *l. femina, 8. ff. de Senat.* Vnde est, vt maritus nobilis nobilitet coniugem rusticam. Rectè igitur dixit Arnulfus Luxouienfis *in serm. ad PP. Conc. Turon.* Si Christus est Dominus, eius etiam sponsam oportere esse Dominam. Ideo ipse ad eam *Cant. 2.* ait; *Veni, flores apparuerunt in terra nostra:* non dicit, *mea*, sed *nostra*: quia scilicet omnia mea iure sponsali tecum esse volo communia. 2. Gratia facit Dei amicos: igitur & hoc nomine omnia sua bona cum eis communicat: non ea solum ratione, qua charitas nihil finit amicis negari, sed etiam vera donatione, cuius & pignus habent Spiritum Sanctum, per quem creauit & possidet omnia. 3. Gratia constituit filios Dei; & ita quidem, vt sint membra Vnigeniti,

CONSIDERATIO XVIII. 135

niti, & eodem, quo ipse, spiritu uiuant.
 Si autem filij sunt, ergo & hæredes: si
 fratres & membra Vnigeniti, ergo &
 vniersorum, ac domini totius crea-
 turæ. Maximè quia etiam legibus hu-
 manis receptum est, quòd *paternos ho-
 nores inuidere filijs non oporteat. l. 11. C. de
 dignit. & quæ sita dignitas, liberis, etiam
 propter casum patris remoti à Senatu,
 auferenda non fit. l. 9. ff. de Senat.* Nec
 immeritò se illi submittit, seruitque
 tota creatura, qui sui Creatoris ac
 Domini filius, frater & membrum est.
 4. Gratia excellentior est omnibus alijs
 rebus. Ergo illà præditus meritò præ-
 ponitur omnibus: ac si posset mundus
 eligere sibi regem, non alium eligeret,
 quàm hominem Gratia Dei pollentem;
 vt qui dignior, sapientior ac formosior
 etiam sit alijs omnibus. De Saule, cùm
 stetisset in medio populi, & altior esset
*vnuerso populo, ab humero, & sursum, aie-
 bat Samuel: Certè videris, quem elegit
 Dominus, quoniam non sit similis illi in
 omni populo. 1. Reg. 10.* Iustus autem non
 tantum

tantum specie quadam, siue os hume-
 rosque Deo similis est; sed, ut ostendi-
 mus, Deus quidam, & vnum cum Deo.
 Cum igitur ipsa rerum natura semper
 melioribus peiora, nobilioribus igno-
 biliora subiiciat; Gratia Dei, utpote
 nobilissimæ omnium, par est subiacere
 alia omnia. 5. Gratia causâ facta sunt
 omnia: igitur omnia illi etiam seruiunt.
 Et quia finalis est prima ac præcipua
 causa, quæ rebus, ad eam ordinatis, ra-
 tionem, modum & mensuram præscri-
 bit; ideo etiam summus est hic titulus
 dominij, quod homo iustus habet in
 omnia. Hinc est, quod stellæ Deo *cum*
tremore obediunt, & in custodijs suis lætata
dicunt, Adsumus; & lucent cum iucundi-
tate ei, qui fecit eas. Baruch. 3. At non lu-
 cent ei, nisi propter electos. Hæc eis
 causa lætitiæ & iucunditatis, quod à
 Creatore usurpentur in bonum illorū.
 Idem de reliqua creatura dicendum:
 quæ etiam auidè reuelationem filio-
 rum Dei expectat, ut ipsa quoque, ad
 meliorem statum perducta, non am-
 pliùs

plius cogatur vanitati improborum
seruire.

6. Denique à quo quis superatus est,
huius & servus est. 2. Pet. 2. Cùm ergo
is, qui Gratia Dei potitus est, vicerit
mundum; quoniam omne, quod natum
est ex Deo, vincit mundum. 1. Ioan. 5.
Nouus hinc titulus oritur, quo factus
est dominus mundi. Ideo Christus di-
cit Apoc. 3. Qui vicerit, dabo ei sedere me-
cum in throno meo; sicut & ego vici, & sedi
cum Patre meo in throno eius, & c. 2. Qui
vicerit, & custodierit vsque in finem opera
mea, dabo illi potestatem super Gentes; &
reget eas in virga ferrea, & tanquam vas
figuli confringentur; sicut & ego accepi
à Patre meo. Quæres, quale sit hoc do-
minium: audi, quid porro Dominus
dicat ibidem.

III. Vincenti dabo manna abscondi-
tum. Apoc. 2. Quis Lazarum beatum ac
dominum mundi putauit, cùm iaceret
ad limina diuitis, viceribus plenus, &
optans saturari de micis, quæ cadebant
è mensa diuitis? Luc. 16. Nec ipse fortè
suam

suam opulentiam satis agnoscebat; &
 ei tamen idem, quod alteri cuidam ve-
 rissimè dici potuit; *Scio tribulationem*
tuam, & paupertatem tuam; sed dives es:
 imò longè ditissimus, quamvis id mo-
 dò non appareat. Atqui non id solum
 est, quod oculis cernitur, sed plura me-
 lioraque ex ijs, quæ sunt, fugiunt sen-
 sus. *Quanto tempore haeres paruulus est,*
nihil differt à seruo, cum sit dominus omni-
um. Galat. 4. ita rex in cunis, ita loas
 dum coronatur, & vngitur septennis,
4. Reg. 11. ignorat ipse suam potentiam,
 & verè tamen rex est. Nempe hoc mun-
 di dominium, quod iustus habet, inte-
 rim est manna absconditum; omnium
 tamen bonorum saporem & vberta-
 tem dat manducanti: sicut rex paruu-
 lus regio more alitur, & vestitur. Ne
 putes, iustum dominio suo non frui, sed
 similem esse Nabuchodonosori, qui
 cum tantus rex esset, ex hominibus ab-
 iectus est, & fœnum vt bos comêdit,
 & rore cœli corpus eius infectum est.
Dan. 4. Non ita iustus, sed bonorum
 totius

CONSIDERATIO XVII. 139

totius mundi fructibus gaudet magis,
quàm vilus Monarcha. Multum enim
differt dominium Gratiae, à ciuili; quod,
vt ex amara peccati radice natum est,
ita fructus habet 1. parùm salubres, ac
suaues, tam in acquisitione, quàm in
possessione, administratione, conserua-
tionéque. 2. Paucos & exiguos; quia
ciuilis dominatus valde strictus, & li-
mitatus est. 3. Denique nec certos, aut
prouenientes ad votum: quia scilicet
regnum terrenum nec plenè subest re-
giæ voluntati, nec plures patitur domi-
nos; & vel inuito eripi potest, vel spon-
te communicanti minuitur. Sed domi-
nium Gratiae nec adimi, nec minui po-
test, & communicatum cum pluribus
augetur, vt lumen cæleste, & vt ipsius
Dei dominium. Fructus autem percipit
vberes ex omnibus rebus, etiam quibus
contingit carere: ac plerumque vbe-
riores existis; vt contentione ac bello
ad eos tuendos opus non sit. Denique
fructus eius sunt absque vitio, pari, san-
cti, suaues, iucundi, sine cura & pertur-
batione.

barione. Quid multa? sunt quales Deus dat filiis suis dilectis, quos propterea vocat beatos, etiam dum degunt in terra, quod omnia conuertantur eis in bonum, & pro statu vite presentis, omnia seruiant ipsis ad beatitudinem & gloriam. Merito ergo terrenam dominationem, tanquam suâ longe inferiorem, contemnunt, qui sublimes cum Deo sedent super gyrum terræ, & habitatores eius sunt quasi locustæ respectu ipsorum. Isa. 40. Quod nomen regibus ac principibus terrenis tribuit etiam Nahum c. 3. Custodes tui, quasi locustæ: quæ cum deuorent fruges, & volitent Sole lucente, in rore ac frigore torpent, velut exanimes, Nec magni facere possunt temporale dominium ij, quos Deus super omnia bona sua constituit: inter quæ orbis terrarum est tanquam momentum stateræ, & tanquam gutta roris antelucani, qui in terram descendit. Sap. 11. Gentes autem quasi stilla situlæ, & insulæ quasi pulvis exiguus. Isa. 40. Nam dum largiter ipsis appendit bona cælestia,

CONSIDERATIO XIX. 141

stia, non curant huius dominij momen-
tum superfluum, quasi si pulvisculus
adijciatur talento. Et dum inebriat ani-
mos eorum imbre benedictionum cæ-
lestium, à gutta roris euanidi multum
vbertatis non sperant: dum ex puteo
inexhausto affunduntur eis aquæ vita-
les diuitiarum Dei, temporalium ma-
iorem, quàm stillæ adhærescentis, ra-
tionem non habent.

CONSIDERATIO XIX.

*E Gratia oriri Charitatem in
anima.*

I. **R** *Edi diligunt te. Cant. i. Magna*
& hinc Gratiæ dignitas acce-
dit, quòd Charitas oriatur ex
ea: sicut è substantia animæ voluntas,
cum alijs facultatibus: Cum enim Gra-
tia sit supernaturalis, & præstantissima
quædam natura, superaddita animæ;
omnis autem natura sit principium &
origo motûs sibi conuenientis: necesse
est, vt etiam Gratia nobilissimi cuius-
dam

dam, & sibi conuenientis motus, & operationis origo sit: qui motus alius esse non potest, quàm Dilectio Bonitatis Diuinæ. Ab hac enim per amorem prouenit Gratia, & in eandem per amorem refertur, ac reflectitur, quasi circulari motu omnium perfectissimo. Et sicut amor est vita quædam, & operatio Bonitatis Diuinæ; ita Gratia, quæ Diuinæ Bonitatis est participatio, quasi vitalis actus est amor. Per amorem Deus animæ largitur Gratiam, ac bonitatem suam; per amorem anima Deo respondet, ac refert gratiam. Amor enim non nisi amore pensatur & compensatur. Vita cordis est amor, & sicuti nulla res potest esse sine sua operatione; ita anima humana sine amore, & Gratia sine summi Boni amore esse non potest. Si ergo ex propria operatione rei cuiusque natura cognoscitur, quàm nobilem esse dicemus naturam Gratia, cuius proprius actus est omnium nobilissimus, & in summi Boni amore consistit? Amor autem est conuersio aman-

tis

tis in amatum, quantum possibile est: reſte Doctore Angelico. Non mirum ergo, quod S. Auguſtinus l. de ſubſt. diſt. oret: *Dulcis Chriſte, bone Ieſu, accende me totum amore tuo, igne tuo, ſuaui- tate tua, dulcedine tua, iucunditate & ex- ultatione tua, voluptate & concupiſcentia tua: & ſcribe digito tuo in pectore meo me- moriam tui melliflui nominis, nulla un- quam obliuione delendam.*

III. *Deus Caritas eſt, & qui manet in Charitate, in Deo manet, & Deus in eo.* I. Ioan. 4. Actum tam nobilem homo, ſi- ne ſupernaturali quapiam facultate, exercere non poteſt. Ea facultas Cha- ritas vocatur: quæ tam excellens eſt, ut non defuerint, qui putarent eam eſſe ipſummet Spiritum Sanctum; quod à creata voluntate videretur tantum boni, quantum eſt amor Dei, prouenire non poſſe. Sed quia Caritas inter fru- ctus S. Spiritus collocatur à S. Paulo, non poteſt eſſe Spiritus Sanctus: tam pre- cioſus tamen eius fructus eſt, ut ideo *Deus* dicatur: ſicut ſcribit S. Auguſti-

nus *epist.* 106. Certè licet Charitas infinita non sit, infinitum tamen habet effectum, dum coniungit animam Deo, teste S. Thomâ 2.2.9.13. a. 2. ad 3. Quàm immensa esset, quæ molem, omnibus Alpibus & Apenninis grauiorem, subito à terra leuaret in cælum, & medio corpori solari immitteret, vt eodem cum ipso splendore fulgeret. ? sed vtrique perexigua, imò pæne nulla est terra à Sole distantia, si compareretur cum ea, quâ distat humana voluntas à Bonitate Diuina, cui Charitas eam per amorem coniungit. Quare Apostolus animosè illam summis etiam, ac supernaturalibus Dei donis eousque præponit, vt hæc simul omnia sine illa nihil esse pronunciet. 1. Cor. 13.

Sanè Deus hominem sic amat Charitate increata, vt ei per dona creata se vniat: homo verò, creatæ Charitatis actu, Deum attingit per Spiritum Sanctum, qui increatus amor est, ideo ipse donatus; vt liberè eo vtatur. S. Th. 1.2.9.38. a. 1. Non autem aliter potest vti Amore.

CONSIDERATIO XIX. 145

Amore Increato, nisi amando Deum
per ipsum. Sicut ergo iustus orando,
suos gemitus, in consistorio Deitatis,
proponit per Spiritum Sanctum, ita
diligendo, Deum amplectitur per Spi-
ritum Sanctum; ut suos gemitus gemi-
tibus inenarrabilibus Columbæ Diui-
næ, ita suos amplexus infinitis amplexi-
bus Amoris Diuini coniungens. Nam si
Spiritus Sanctus dicitur postulare pro
nobis *Rom. 8.* non tantum iuuando nos,
ut rectè oremus; sed etiam desideria
nostra, magno cum affectu, proponen-
do apud Deum Patrem, phrasi nota in
iure humano *l. 2. ff. de postulat.* & sic nos
postulamus per Spiritum Sanctum; sic-
ut etiam per illum clamamus, *Abba Pa-
ter. Rom. 8.* & inuocamus Dominum
IESVM, *1. Cor. 12.* Similiter quoque ipse
amat pro nobis, & nos amamus Deum
per illum, quatenus ad amandum nos
adiuuat, & ipsemer est Amor, idemque
noster ex dono, per quem Deo dignè
repræsentamus nostrum affectum, &
inclinamur in sinum Bonitatis diuinæ.

H

O mæ -

O inestimabilis dignitas Charitatis, cui datur actum suū sociare Amori æterno, tanquam proprio; & vnà cum ipso, velut eodem nexu pariter Deum amplecti! Denique Charitas est pretiosissimum balsamum Diuinitatis, & supernaturalis similitudo Spiritûs Sancti: vt inquit Dionysius Carthus. *element. prop. 152.* Quia vt proprium est Naturæ Diuinæ producere Diuinum amorem, qui est Spiritus Sanctus: ita Gratia, quæ participatio est Naturæ Diuinæ, proprium est habere Charitatem. Hic eius odor & succus, hoc balsamum est. O quàm præstans Natura, vnde promanant!

III. *Ignis est iste perpetuus, qui nunquam deficiet in altari. Leuit. 6.* Charitas est ignis ille, quem Christus venit mittere in terram, & voluit accendi, semperque ardere in ara cordis humani. Non ita ignis dominatur alijs rebus, vt Charitas, quæ mentem semel affectam sui iuris esse non sinit; semper operosa, omnia dissoluens, transformans

CONSIDERATIO XIX. 147

mans & efferens in altum, vt suo iungantur principio. Nulla virtus, teste S. Thomâ 2.2.9.13 a.2. tantam inclinationem habet ad actum suum, vt Charitas: nec aliqua ita delectabiliter operatur. Quomodo ergo fieri potest, vt homo, posteaquam est receptus in Gratiâ, & Charitate imbutus, cum à Sacramentis recedit, non flagret continuo; nihil aliud spirer, cogitet, agat, quàm ea, quæ sunt Charitatis; indefinienti amore, gaudio, desiderio summi boni feratur; totus lique scat, abeatque in Naturam Diuinam, & ei se vniat? *Potentissima*, vt S. Prosper ait l.3. *de vita contempl. c. 13. omnium affectionum est dilectio. in omnibus semper inuicta.* Quid est ergo, quod nos impedit à perennâ exercitatione ipsius? quare non per vim eijcimus ea, quæ malè occupatum tenent cor nostrum; aut saltem in materiam & pabulum Diuini amoris conuertimus? Sacer hic ignis, vt, iuxta placitum Dei, ardeat semper in altari, nutriendus est subiectis manè lignis, per

singulos dies; eodémque holocaustum, cum adipe pacificorum, hoc est, gratiarum pro beneficijs, cremandum in cineres. Ita prorsus omnia in holocaustum Deo cedere debent, & igne Charitatis in corde cremari, tota nocte usque mane; ac cineres, quos vorans ignis exussit, in loco mundissimo consumendi usque ad favillam. Hæc est Divina, suavissimâque lex holocausti: hæc Charitatis, hæc Gratiae ac participationis Divinae natura. Admirandum, quî possit ullus, qui gustaverit Bonitatem immensam, ab eius holocausti perenni oblatione cessare: cum nihil præstariius, nihil etiam sibi vtilius facere possit; nihil quoque sit facilius ac iucundius, quàm ut propriam operationem res quævis exerceat; ignis ut ardeat, lux ut luceat. Sua enim operatione servantur, ac beata sunt omnia: qua deficiente deficiunt. *O amor, veni in nos posside nos: hic est finis, hæc est consummatio, hæc est perfectio, hæc est pax, hoc est gaudium, ait S. Bernardus s. i. de amore Dei c. 4.* CON.

CONSIDERATIO XX.

*Gratiæ coherere omnes vir-
tutes.*

I. **Q**uem effudit in nos abunde. Tit. 3.
Consistit hæc abundantia in
copia supernaturalium dono-
rum, ac virtutum, quam Gratia secum
importat. S. Scriptura sæpe describit
hunc mundum animæ iustæ. In psalmo
44. *Astitit regina à dextris tuis in vestitu
deaurato, circumdata varietate multipli-
cium ornamentorum virtutis omnimo-
dæ.* Salomon Cant. 6. prædicat in ea
Spem, quæ amabiliter, quasi aurora
consurgit; Fidem instar plenæ lunæ
pulcherrimam; Charitatem, quæ vt
Sol regnat in cælo; ordinatas Acies
prudentiæ, iustitiæ, fortitudinis, tem-
perantiæ, cum suis quamque cohorti-
bus. Propheta regem Tyri, quondam
Deo acceptum, Ezech. 28. describit his
verbis: *Tu signaculum similitudinis, plenus
sapientiâ, & perfectus decore, in delicijs*

H 3

para-

*paradisi Dei fuisti : omnis lapis pretiosus
 operimentum tuum : aurum opus decoris
 tui, & foramina tua in die, quâ conditus
 es, preparata sunt. Tu Cherub extentus &
 protegens, & posui te in monte Sancto Dei:
 in medio lapidum ignitorum ambulasti.*
 Commemorat in eo signaculum simili-
 tudinis, gemmas inclusas auro, forami-
 na quædam, extensionem, & confor-
 tium lapidum ignitorum : quæ omnia
 pertinent ad intelligendum ornatum
 animæ Deo gratæ, quem à virtutibus
 habet. Nam 1. vt filius exprimit simili-
 tudinem patris, non communi modo,
 sed referendo proprias eius lineas, in-
 clinationes, mores & gestus; ita hic ex-
 pressam habet in se similitudinem Dei,
 ipsius mansuetudinem, sinceritatem,
 benignitatem, & reliquos mores, per
 infusas cum Gratia virtutes ostendens.
 2. Hæ autem virtutes, charitate vesti-
 tæ, illis, quæ cum nuda natura coniu-
 gi solent, tantum antecellit, quantum
 gemmæ, fulgore & operatione mirabi-
 les, auróque inclusæ, rudia saxa, quæ ia-
 cent

cent in luto. 3. Admiranda capacitas
 diuinarum in se operationum, & dono-
 rum, quæ per *foramina* diuinitus præ-
 parata notatur, & iuncta est virtutibus,
 explicari verbis vix potest: his enim
 liberaliter diuina manus immittit mi-
 rabilia dona, fructus & beatitudines.
 4. Sicut aureus olim Cherub extende-
 bat alas, ac protegebat arcam, oculis
 in eam intentis, *Exod. 25*. Sic anima, vir-
 tutibus istis ornata, extendit suas cogi-
 tationes iugiter in obsequium Dei; in
 omni re beneplaciti diuini nutus obser-
 uans, & eos ex propitiatorio Humanita-
 tatis Christi addiscens. *Nam inde, ait,
 precipiam, & loquar ad te supra propitia-*
torium. 5. Denique omnis eius conuer-
 satio in cœlis est, dum per omnia sata-
 gitorum, quæ decent eum, qui sit af-
 sumptus in statum filiorum Dei; vt re-
 ctè dicatur inter homines non iam vt
 homo, sed quasi purgatus à fece terre-
 na, in medio cœlestium lapidum igni-
 torum incedere. Quo etiam fit, vt tan-
 to decentiora, Deoque digniora sint
 H 4 eius

eius obsequia, quàm hominis naturali
solùm virtute præditi, quanto ornatior
est cultus regi exhibitus à viro nobili,
quàm ab agresti.

II. *Candidiores Nazarei eius niue,
nitidiores lacte, rubicundiores ebore anti-
quo, saphiro pulchriores. Thren. 4.* Sa-
pientiores olim è gentilibus, qui sum-
mam felicitatem hominis persuaferant
sibi in sapientia & virtute consistere,
multum operæ posuerunt, vt eam ac-
quirerent: abiecerunt fortunas, dese-
ruerunt patriam, profecti sunt in regio-
nes longinquas, abstinerunt à com-
modis vitæ ac voluptatibus, non hu-
maniter tractauerunt seipsos; & hoc
omni tamen labore non aliud consecu-
ti sunt, quàm naturalem virtutem,
eâque non sinceram; certè nihil ad-
modum profuturam ad veram beati-
tudinem. Ferè vt mercenarius, impro-
bo labore diurno, denarium promere-
tur; & eo tamen ipso fraudatur sæpe,
vt vespere non habeat, quo fessos artus
reficiat: cùm interim alius, vix domo
egres-

egressus, thesaurum inueniat, qui in totam vitam ad lautitias ei sufficiet. Ita planè Christiani, sine labore, cum Gratia Dei, accipiunt cælestem virtutum infusarum thesaurum. O quàm insipientes, si illum non seruent, si vilipendant, si abijciant? Abijciunt autem certè, quoties per graue peccatum excidunt Gratiâ. Continuò enim cum illa euanescent nobilissima ea dona & ornamenta. Quod, sub figura Templi vastati, miserabilem in modum Ieremias deplorat. *Thren. 4. Quomodo, inquit, obscuratum est aurum, quo vestiti erant parietes templi: mutatus est color optimus, amisso splendore virtutum? dispersi sunt preciosi lapides sanctuarij, in capite omnium platearum, vt quasi profani calcentur ab his, qui per vias latas incedunt. Spernuntur enim etiam à seculi amatoribus, qui, sanctitate abiecta, profanauerunt seipfos; cùm antea quasi sanctuarium à Deo inhabitatum culti fuissent. Filij Sion inclyti, & amicti auro primo, quomodo reputati sunt in vasa to-*

*stia, opus manuum figuli? quasi ad nihil
 iam aliud idonei, quam ad sordes exci-
 piendas, vel ut abijciantur, & illidan-
 tur in terram, fractique proterantur ab
 omnibus? Qui vescebantur voluptuose
 caelestibus delicijs, fame interierunt in
 vijs: qui nutriebantur in croceis, tanquam
 filij Regis æterni, amissa veste nuptiali,
 turpiter denudati iacuerunt in sterqui-
 linijs, & in luto voluti amplexati sunt
 mercora temporalium rerum. Erant
 quondam candidiores Nazarei eius niue,
 per innocentis vitæ puritatem: nitidio-
 res lacte, per opimitatem bonorum ope-
 rum: per dilectionem proximi rubicun-
 diores ebore antiquo, seu meliore, quod
 ostro tinctum est: saphiro pulchriores per
 caelestium desideriorum fulgorem: at
 nunc à fame & squalore denigrata est
 super carbones facies eorum, & non sunt
 cogniti in plateis: adhasit cutis eorum ossi-
 bus, & facta est quasi lignum recisum ab
 arbore, vnde succum trahebat, multi-
 plicis gratiæ Dei; debiles omnino, ari-
 di, & non nisi flammis idonei. Sensit
 hoc*

hoc Nazaræus ille, cui malus amor mulierculæ, cum sacra cæsarie, mirabiles illas corporis, ac multo maiores simul animi vires ademit. Erítne quisquam ita abiectus, vt rei vilissimæ desiderio patiatur amputari sibi brachia, truncari pedes, nervos incidi? Profectò si per peccatum non amitteretur Gratia Dei, neque incurrerentur infinita supplicia, vel sola virtutum supernaturalium iactura cohibere nos debuit à cuiuscunque boni, honoris aut voluptatis appetitu illicito: maximè cum vnaquæque talium virtutum omnibus mundi bonis sit multo præstantior.

III. *Intrauit cum illis in templum ambulans, & exiliens, & laudans Deum.* Act. 3. Non mansit in lectulo suo claudus, qui ad portam templi sanatus est à Principe Apostolorum; sed magno cum gaudio, & alacritate, mox usus est viribus sibi donatis, exiliens & ambulans. Ita sanè quibus cum Gratia sunt à Deo infusæ virtutes, non otiosas habere debent, sed strenue uti. Aversa-

H C

mur

mur hominem, qui circumfluens opibus, otiosas in arca coërcet; dignumque putamus, qui protinus illis mulctetur. Assumpti in amicitiam Dei, iure cœlestis ciuitatis, & multiplici arrha donati, quomodo degunt inertes? nihil agunt se dignum? non continuò præclara, supra naturam, & conditioni suæ paria cogitant, moliantur, & faciunt? Ut taceam, quòd multi per ignauiam deuenerint in opum illarum iacturam. Neque hoc obtendi potest, quòd, etsi virtutes infusæ conferant facultatem operandi pulcherrima quæque, facilitatem tamen non addant; sed remaneat difficultas, præsertim ea, quæ per malos mores exorta sit. Nam friuola est hæc excusatio. Si quis rex vilem homuncionem, qui omnium membrorum usu destitutus iacebat, non tantum exquisitissimis medicamentis restitui curret plenæ sanitati; sed etiam adoptet in filium; eritne ita ignauus, ut quia scitè equitandi artem non habet, nolit comitari regem, cum alijs proceribus tendentem

dentem in locum, vbi eum pro succes-
 fore solenni pompa proponat subditis,
 aut instrumento, quo sibi regni iura
 fanciantur, grauetur subscribere tan-
 tum ideo, quod promptè & elegan-
 ter scribendi vsum nondum sit ade-
 ptus? Et quid dicemus, si etiam ma-
 num, aut pedem mouere non velit ad
 vllum obsequium regis, à quo sit ado-
 ptatus in regnum? Maiora nos accepi-
 mus à Deo, per Gratiam, & infusas vir-
 tutes: quâ ergo ratione illis in obsequiũ
 tam benigni erga nos Dei non vtimur?
 quomodo vllò momento cessamus?
 quomodo sine vlla alacritate ac studio
 agimus omnia, quasi prorsus immemo-
 res, quod filij Dei simus, non terræ; so-
 cij Angelorum, non pecudum? Olim
 viri sapientes virum bonum, præditum
 naturali virtute, dicebant à Deo differ-
 re sola potentia, & immortalitate, quæ
 tamen ad bene viuendum non spectant.
 In quo iudicio licet excefferint mo-
 dum, non tamen errauerunt in eo,
 quod virtutem bonis terrenis longè

præstare dixerunt. Vt iusto pudore suffundamur nos, qui nobiliores, ac diuinitus infusas, virtutes non æquis momentis pensamus. Conferunt autem illæ quoque tandem facilitatem, & iucunditatem agendi: cumulantur diuinis auxilijs, fauoribus, gaudijs; vt omnis prorsus excusatio pigritiæ nostræ sublata sit.

CONSIDERATIO XXI.

*Gratiam comitari septem dona
Spiritus Sancti.*

I. **R** Equiescet super eum Spiritus Domini. spiritus sapientiæ & intellectus. Isa. 11. Sicut ab anima diuersæ facultates, aliæ alijs nobiliores, ac subordinatæ, promanant; quibus cognoscit, appetit, efficit, quæ ad sui conseruationem, & felicitatem pertinent: ita ex anima animæ, quæ Gratia est, oriuntur non modò supernaturales virtutes; sed etiam alia septem dona, quæ peculiariter tribuuntur Spiritui

tui

CONSIDERATIO XXI. 159

tui Sancto, quòd instituta sint, vt eius operationi in anima præcipuè seruiant. Sunt autem tam excellentia, vt Isaias, ad commendandam Sanctitatem Redemptoris, ea commemoranda putauerit, quasi præcipua quædam ornamenta ipsius. Et verò si considerabimus, quæ de vno sapientiæ dono dicuntur à Iob c. 28. facile intelligemus, quod de omnium septem præstantia sit ferendum iudicium. *Nescit homo pretium eius. inquit. Non adequabitur ei aurum, vel vitrum crystallinum. Excelsa & eminentia non memorabuntur comparatione eius. Trahitur autem sapientia de occultis. Non adequabitur ei topazius de Ethiopia, nec tinctura mundissima componetur.* His non sunt inferiora, quæ Ecclesiastici c. 1. describuntur Timoris Dei elogia. *Timor Domini gloria, & gloriatio & lætitia, & corona exultationis, &c.* Tantopere autem placent hæc dona Deo, vt in figura candelabri aurei, cum septem lucernis, ea voluerit in sanctuario suo semper habere ob oculos. *Exod. 25.*
Nec

Nec illud est abs re, quod scribunt aliqui Doctores, vasa, quibus lampades immittebantur, habuisse formam auriculæ; vt magis exprimeretur eorum donorum officium, quod destinata sint excipiendis diuinis illustrationibus. Nam vt homo communibus prudentiæ Christianæ regulis feratur in opera laudabilia, sufficit ei facultas, quam ab infusis virtutibus habet. Sed vt, instigante Deo, maiora quædam suscipiat, ultra communis prudentiæ fines, Spiritus Sancti donis iuuatur; tanto vtique præstantioribus, quanto diuiniora sunt, quæ operatur per illa. Ita Phinees, zelo Dei commotus, impuros arrepto pugione peremit: ita Sampson, concussis columnis theatri, sua morte vltus est iniurias populi Dei: ita innumeri pro Christi nomine sese obtulerunt supplicijs, abdicauerunt rebus humanis; admirandos inuenerunt, homines ad Deum reducendi, vel carnem, diabolum & mundum debellandi modos, non tam humano consilio, quàm heroico,

roico, & planè diuino spiritu moti
actique. Qualia cum non adeò rara
sint, & infrequentia, conueniens erat,
vt Gratiam semper concitarentur eius-
modi dona, per quæ Spiritu Dei agi
possent filij Dei, res tanta conditione
dignas gesturi. O admirabilem ergo
naturam Gratia, quæ tam diuinos exi-
git comites!

II. *Qui sunt isti, qui vt nubes volant,
& quasi columba ad fenestras suas? Isa. 60.*
Quando, gratia excitante, veluti spon-
te sua operantur iusti per virtutes in-
fusas, tum sanè supra terram se effe-
runt, volantque, sed sicut columba,
non altius ferè eniti solita, quàm ad
suas fenestras. At vbi cœperint impelli
maiore vi Spiritûs, tum instar nubium
cogitatione euehuntur in cœlum, ab-
undant eloquio, tremendis coruscant
operibus. *Vbi erat impetus spiritus, illuc
gradiebantur animalia mystica, Ezech. 1.*
Quia, vt S. Macharius ait *hom. 1.* currum
gloriæ Dei vehentes *anima sancta agitur,*
& *diriguntur à Christi Spiritu, ducente quo
volus-*

voluerit, & quando voluerit. Atque hic est 1. horum donorum vsus, haud sanè ignobilis, quòd per ea Deus triumphans, quacunque vult, inferat gloriam suam, insigniora quædam opera edendo per homines iustos, in patientia laborum, victoria difficultatum, benignitate eximiâ, perspicacia singulari, quæ per quatuor animalium facies, & lineamenta in Cherubinorum vultu apparentia, symbolicè denotata fuerunt. 2. Donis perficiuntur virtutes: nam ex ijs, quæ ad cognitionem pertinent, magna fit accessio ad prudentiam, vt quasi diuina euadat. Reliquis augentur eæ virtutes, quæ vel proximum spectant, vel in appetendo ac prosequendo bono versantur: vnde actiones earum longè præstantiores fiunt. Nam sicut opus ab vna tantùm virtute profectum, vt à iustitia, zelo, non satis gratum est, nisi temperetur simul aliarum influxu, vt mansuetudinis, modestiæ: ita sine affluxu donorum fit opus minùs præclarum. Igitur & in seipsis,
&

CONSIDERATIO XXI. 163

& in suis actionibus à donis perficiuntur virtutes. 3. Nec illud est contemnendum, quod eis tribuit S. Gregorius 1. *moral.* 26. mentem per dona roborari contra tentationes; quæ scilicet per solas virtutes non facile superarentur. Inuadit enim palatum animæ nonnunquam ea fatuitas & nausea, quæ non sine peculiari Sapientiæ gustu tollenda sit: ea caligo rebus diuinis offunditur, quæ sine maiore acie Intellectûs, afflati à Spiritu Sancto, penetrari possit: ea rebus creatis affingitur species & pulcritudo, quæ vt emendetur, Scientia planè altiore sit opus: actionem ea præcipitantia rapit, aut perplexitas impedit, quæ Consilio diuiniore indigeat: talia etiam animæ pericula terrent, talis zelus & austeritas corripit, talis animositas effert, vt absque diuinitus addita Fortitudine, Pietate, Timoréque Dei nemo victor euadat. 4. Sed præter tentationes, in quibus est magis anceps peccandi periculum, occurrunt etiam alia impedimenta absoluta

Iustæ sanctitatis non pauca, quæ Diony-
 sius Carth. *tract. i. de donis a. 10.* è S. Bo-
 nauenturæ doctrina, refert in septem
 vitia capitalia, quibus opponuntur ea-
 dem dona, dum contra reliquias illo-
 rum animum promptum, & expedi-
 tum faciunt ad vsum virtutum, à quo
 homines, etiam prouectæ virtutis, ro-
 tardabat non quidem affectus peccati,
 nec sæuior extrinsecus obiecta tenta-
 tio, sed aliquid tamen, quod cum pe-
 nitus inspicitur, si non ipsa superbia,
 inuidia, cupiditas, ira, acedia, gula aut
 luxuria; saltem eorum fumus & fuligo
 quædam est, nondum satis deterfa.
 Hinc seruitia Dei minùs, quàm pos-
 sent, ardentia; nec tam sincera, tam in-
 tegra, tam crebra, tam probata, tam
 denique dulcia fiunt, etiam ab homini-
 bus vulgum virtute non parùm trans-
 gressis; nisi donorum vsum accedens
 pellat teporem, resecet quæstum, ex-
 ceptiones elidat, arripiat occasiones,
 laborantes confirmet, saporem asper-
 gat. 5. E quibus etiam alius donorum
 fructus,

fructus
 tus
 ita
 gen
 per
 nor
 Dec
 Cor
 cun
 fun
 taru
 aur
 mu
 mu
 lis
 fun
 rem
 cie
 reu
 in e
 clar
 Spi
 etia
 tra

CONSIDERATIO XXI. 165

fructus, ab eodem Dionysio non celatus, existit, ut Spiritus Sanctus mentes ita institutas, velut aquila pullos verè generosos, ad lucem Solis intuendam, per ea præparet contemplationi diuinorum, intimæque familiaritati cum Deo: quæ quid potest esse optatius? Confirmat hoc Apostolus 1. Cor. 2. ubi, cum dixisset, neminem scire, quæ Dei sunt, nisi Spiritum Dei, qui omnia scrutatur, etiam profunda Dei, addit; Nos autem non spiritum huius mundi accepimus, sed spiritum, qui ex Deo est; ut sciamus, quæ à Deo donata sunt nobis. Animalis autem homo non percipit ea, quæ sunt Spiritus Dei. Et 2. Cor. 3. Ubi autem Spiritus Domini, ibi libertas prospiciendi, sine velamine. Nos verò omnes reuelata facie gloriam Domini speculantes, in eandem imaginem transformamur, à claritate in claritatem, tanquam à Domini Spiritu.

6. His verbis Apostoli insinuatür etiam alius effectus donorum, quem tradiderunt nonnulli Doctores apud

S. Tho.

S. Thomam 1. 2. q. 68. a. 1. quòd perfectiùs nos Christo conformentur. Hinc est, quod toties prædicat Apostolus, quos Deus *prædestinavit conformes fieri imaginis Filij sui, Rom. 8.* His datum esse Spiritum Christi; nimirum ut cum uiuant eodem spiritu, hoc ipso illi similiores euadant. Nullus enim filius ita refert parentem, quàm qui simillimos ei spiritus habet. Nam ab his conformatio oris, ac totus corporis, animi, propensionum, cogitationum, motuumque character existit. Cum igitur Unigenitus mirificè placeat Patri æterno, propter hunc septemplex Spiritum, ut etiam gloriatur de illo; *Ecce puer meus; posui super eum Spiritum meum; noluit fratres eius hoc tanto ornamento carere.*

7. Postremò à donis proueniunt illi actus heroici, qui vocantur Beatitudines: quòd per eos futuræ beatitudinis non modò pignus, ac certa promissio obtineatur; sed etiam præsens quidam gustus atque promulsus: de quo infra
sermo

CONSIDERATIO XXI. 167

fermo recurret. Quis non admiretur hanc vim Spiritûs Sancti, quam per hæc Dona in anima sibi grata exercet; dum quasi totidem manibus, eam ad absolutam perfectionem, & merita infinita perducit? Æstimemus proinde hæc diuina Dona, vt par est, & eisdem vtamur assiduè; cùm sint in nostra potestate, sicut alij habitus, quibus vtimur, quando volumus.

III. *Nolite contristare Spiritum Dei.* Ephes. 4. Sicut enim gaudet Spiritus S. salutis nostræ, non sibi, qui non indiget lætitiis; ita è contrario, si obediētes ei non fuerimus, contristatur, quia non habet profectum in nobis, inquit S. Ambrosius. Et profectò conuenit, vt tantis Dei donis vtamur ad lucrum vberius, & audiamus attentè, quid Spiritus postulet à nobis; ne fortè doleat, se nihil in nobis proficere, & contristatus abscedendi causam accipiat. Consideret suam felicitatem, qui surgit à confessione peccatorum, recēns acceptus in Gratiā. Videat, quantis adminicu-
lis

lis ad vitam sanctè instituendam donatus; quantis viribus, quàm robustis lacertis instructus abeat à Sacerdote. Caueat, ne intra paucos dies iterum peccando, ijs omnibus priuet, ac truncet seipsum: quasi si quis nobilissimo pictori, aut statuario, manum abscindat, præstantissimorum operum effetricem. Quomodo non iustâ irâ, doloreque in eum vniuersi concitabuntur? Attendat, quid sibi velit apparatus ille Virtutum ac Donorum, tam copiosus ac præstans. Non vilia, non exigua certè; sed paria tantis impensis, ac proportionata: vt qui illo instructus est, iam longè se alium exhibeat, quàm cum esset cloaca diaboli. Moderetur suos appetitus, vitet profana, despiciat absurda; cogitet honesta, gerat sibi Deoque decora; totum se ostendat conuersum in alium hominem, in socium Angelorum, in filium Altissimi: vt eius profectu continuo gaudeat Spiritus Sanctus.

CON-

CONSIDERATIO XXII.

Cum Gratia conferri animæ mirabile robur.

I. **V**enite, & videte opera Domini,
 quæ posuit prodigia super terram.
*Psal. 45. Quod enim maius potest
 esse prodigium, ait Cassian⁹ Collat. 12. c. 12.
 quam sub momento brevissimo, ex rapacis-
 simis publicanis Apostolos fieri; ex persecu-
 toribus truculentis prædicatores Euangelij
 patientissimos reddi, ita ut eam, quam per-
 sequebantur, Fidem, etiam effusione sui
 sanguinis propagarent? Ista sunt opera Dei,
 quæ se quotidie unâ cum Patre operari
 protestatur. Operatur autem ea per Gra-
 tiam, quæ id roboris addit animæ sibi
 subditæ, ut cum prius omnia obseque-
 retur corpori, nunc illud læta affligat;
 cum antea vanè supra seipsam ferre-
 tur, nunc se ad omnium pedes lubens
 abijciat; cum antea pro honore decer-
 taret, nunc eum præ morte refugiat;
 cum divitiarum cupidissima foret,*
 I nunc

nunc omnia sponte relinquat; cum ferinum in modum fureret, nunc agnoscat mitior. Verè mirabilia operatua, Domine; & anima mea cognoscit nimis. Psal. 138. quia passim, & quotidie fiunt, vi Gratiæ: Cui, vt S. Bernardus ait in Cant. s. 83. anima contra se innitens, & facta se ipsa validior, cogit pro ratione uniuersa: iram, metum, cupiditatem & gaudium, veluti quendam animi currum, bonus auriga regit; & in captiuitatē redigit omnes carnales affectum, & carnis sensum, ad nutum rationis, in obsequium virtutis. Quid ni omnia possibilia sint innitenti super eum, qui omnia potest? Nihil omnipotentiam Verbi clariorem reddit, quàm quòd omnipotentes facit omnes, qui sperant in se. Quia ipse, teste Isaiâ c. 40. dat lassò virtutem, & his, qui non sunt, fortitudinem & robur multiplicat. Deficient pueri alioqui robusti, & laborabunt, & iuuenes infirmitate deficient: qui autem sperant in Domino, mutabunt fortitudinem: assument pennas, sicut aquilæ; current, & non laborabunt; ambulabunt, &

noxi

CONSIDERATIO XXII. 171

non deficient. Bene ergo S. Chryso-
stomus dixit *hom. 54. in Gen.* quando no-
bis superna gratia cooperatur, etiam
difficilia facilia fieri. Deficiant pueri-
les animæ in laboribus mundi; terrean-
tur alij difficultate virtutis: iustus au-
tem cum Propheta *Abac. 3.* canit; *Ego*
autem in Domino gaudebo, & exultabo in
Deo IESU meo: Deus Dominus fortitudo
mea, & ponet pedes meos quasi ceruorum,
& super excelsa mea deducet me victor, in
psalmis canentem.

II. *Immutauit ei Deus cor aliud. I.*
Reg. 10. Quàm graue sit homini, vitijs
assueto, conuerti ad meliora, tum ex-
perientia quotidiana docet; cùm de se-
ipsis testantur SS. Cyprianus, & Augu-
stinus, grauissimi Patres. *Ego cùm in te-*
nebris, atque in cæca nocte iacerem, ait
S. Cyprianus lib. 2. ep. 2. cùmque in salo
iactantis seculi nutabundus, ac dubius, ve-
stigijs oberrantibus, fluctuarem; difficile
prorsus ac durum, pro illis tunc moribus,
opinabar, quod in salutem mihi diuina in-
telligentia pollicebatur, ut quis renasci de-

nuo posset; corporis licet manente compage,
 hominem ex animo. & mente mutaret. Qui
 possibilis, aiebam, est tanta conuersio, ut re-
 pente ac pernicipiter exuatur, vel quod ge-
 nummum, sita materia naturalis, obduruit,
 vel usurpatum diu, senio venustatis inole-
 uit? Quanta verò fuerit in se vis Gra-
 tiæ, mox addit. Sed postquam, vnde geni-
 talis auxilio, superioris cui labe deterfa, in-
 expiatum pectus, ac purum, de super se lu-
 men infudit, postquam cœlitus hausto spiri-
 tu, in nouum me hominem natiuitas secun-
 da reparauit; mirum in modum protinus
 confirmare se dubia, patere clausa, lucere
 tenebrosa, dari, quod prius difficile videba-
 tur; geri posse, quod impossibile putabatur,
 ut esset. Similia de se perhibet S. Augu-
 stinus lib. 9 Confess. c. 7. Quam suauem, in-
 quit, mihi subito factum est, carere suauita-
 tibus nugarum? & quas amittere metum
 fuerat, iam dimittere gaudium erat. Hoc
 autem robur esse à Gratia, Saulis exem-
 plo docemur, in quem ut primùm insi-
 liit Spiritus Domini, subito est mutatus
 in virum alterum. Nam, ut S. Gregorius
 docet

docet 4. moral. 4. Cum in nos ille Spiritus
 insilit, renouamur; quia statim, quod non
 eramus, efficimur. Tepidus erat quis; sed
 repente, visitatus à spiritu, feruens effici-
 tur: incipit ardere per deuotionem, forti-
 ter exerceri in bono opere. In virum ergo
 alium mutatus est, qui esse cœpit, quod an-
 te insilientem in se spiritum, esse non potuit.
 Iam bonæ conuersationis est aliquis, caelestia
 amat, terrena despicit, in lacrimarum fon-
 tes erumpit. Repente autem raptus in vir-
 tute supernuenientis spiritus, carnalis esse
 desinit, potenter seculi curas abiicit, & in
 æternorum contemplationem mira purita-
 te consurgit. Miratur se nunc esse, quod non
 erat: miratur se tunc non fuisse, quod est.
 Qualis est igitur Gratia, cui tantæ sunt
 vires? qui ita debilis fuerat, vt eum te-
 nerent nugæ nugarum, & vanitas vani-
 tatum, eum Gratia ita mox roborat, vt
 sine difficultate, imò cum gaudio illas
 excutiat: & qui constrictus fuerat ru-
 dentibus vitiorum, irruente in eum
 Spiritu Domini, quasi fila araneorum

174 DE PRÆST. GRAT. DEI
disrumpit, & sicut solent ad odorem
ignis lina comburi.

III. *Omnia possum in eo, qui me con-
fortat. Philip. 4.* Magnum quidem, &
plus quàm Dauidicum, aut Sampsoni-
cum animi robur postulat debellatio
vitiōrum, quasi totidem vrsorum &
leonum. Sed quia ipsa etiam natura ra-
tionalis ab illis abhorret, videri potest
non adeò esse difficilis; ac proinde vi-
ribus haud ita magnis perfici posse.
Cum rationi consentaneum sit, amare
virtutem; vitia verò sectari, contra-
rium. Maius igitur aliquid Gratia fa-
cit, quando sic mentem confirmat, vt
non modò fortiter superet ea, quæ à ty-
rannis inferuntur dira, & naturæ con-
traria; sed etiam sponte suscipiat, ac
generosè perferat sæpe plurimis annis.
Sanè multorum ieiunia, vigiliæ, labo-
res, pericula continuata longissimo
tempore, non multo leuiora videri pos-
sunt supplicijs Martyrum; quæ quanto
acerbiora, tanto minùs diuturna sunt.
Quod cum fortè consideraret S. Victor
ere-

eremita, videns ad gladium se damnatum à Mauris, rogauit prius cruci affigi, quasi parum grati saporis victimam oblaturus, si statim plecteretur capite, non prius longiore maceratus supplicio. Triduo ergo sic pependit nihil gemens, sed Christum attonitis auditoribus deprædicans: & amputatum postea caput excipiens manibus, ad urbem suam detulit, ac ciues instruxit, quo astu Mauros in desperationem urbis, etiam post septem annorum obsidionem, occupandæ conijcerent. *Non in vita.* Neque viris tantum ea vis animi fuit, sed etiam paruis pueris, ac senibus, quibus ætas timorem addere solet: imò feminis etiam atque puellis: quorum omnium exemplis abundant recentium æquè, ac veterum Christianorum historia. Quantos videmus quotidie adolescentes (ne vim Gratiae putes exaruisse nostris temporibus) illustres natalibus, præstantes ingenio, magnis ad gerenda præclarissima quæque facultatibus ornatos à Deo, contra

omnem propensionem animi, præter
 expectationem prudentum, extra li-
 mites rationis humanæ, ultra vires na-
 turæ, supra iura virtutis communis;
 contempta felicitate vitæ neglectis cha-
 ris omnibus, despecta mundi gloria, ir-
 risis promissionibus, conculcata carne
 & sanguine, lætis animis, ingenti spiri-
 tu, fiducia mirabili, consilio diuino,
 robore insuperabili, se abdere in vitam
 simplicem; ad psalmos, ad scholas, ad
 omnia humilia & molesta se consecra-
 re; & in iisdem perseverare ad ultimum
 spiritum, alacritate summa, constantia
 incredibili, gloria maxima coram An-
 gelis Dei. Veniunt autem in hæc simpli-
 ces ac pæne pueri; sed eadem Gratia,
 quæ vires dat perficiendi, supplet in eis
 canitiem sensuum. Ac ne per inopiam
 consilij, fortunæ, aut animi hæc eos
 pati potiùs, quàm agere, quis obijciat,
 alia omnia facturos, si vel vnũ cochlea-
 re libâssent è prudentia, id est, è caca-
 bo Machiaueli; vident innumeros, cum
 longissimo elencho fortium nominum,
 paria

paria nunquam audere: conspiciunt non paucos à latere suo deficere ad ollas Ægypti, & ex ijs pinguescere in tiaras ac fasces: intelligunt nec sibi difficiles exitus fore, si placerent conditiones æqualium; imò & longè sibi inæqualium: & in sua tamen statione persistunt ridentes: non deserunt virides vligine parietes cœnobiorum suorum; non aspernantur pueritiæ instruendæ pedorem; non perpetuam tautologiam earundem tota vita recurrentium rerum fastidiunt. Quæ quantæ supra culinam sapientiæ, quantæ fortitudinis supra gloriosam abollam, quàm denique diuini sint roboris, intelligit, quicumque videt cothurnatos illos Achæos nihil tale præstare; imò nec vxorculæ desiderium æquo animo, in aliquot dierum legatione, perferre; nec operosum agere quidquam, sine interfuso vel conuiuiorum, vel quæstus profani solatio: ferè vt anus exsanguis, ad colum, identidem digitos arentes in apposita scutella humectant, & vngunt.

I 5

Non

Non igitur est, quòd multi querantur ingenia magna subduci Reip. & in religionibus eorum incrementa suffocari, sicuti catellorum in cantharo, ne fiant molossi. Non suppressit animi vires Gratia Dei, sed auget. Maius enim ac potius imperium condit; maiorem Remp. administrat, quàm Mundus. Sed & huius potentiam Gratia sustentat, ac prouehit magis, quàm omnis delectus & apparatus humanus; in quo quidquid est virium, ab ea procedere pij Principes manibus deprehendunt, & ore grato fatentur. Quorum ministri vtinam cum Gratia Dei semper inhabitent! non tanta per mollitiem, timiditatem & impatientiam eorum paterentur, quanta gemunt omnia ferè imperia. Quòd si ergo Gratia non tantum ex brutis homines, sed etiam ex hominibus Angelos, ex mortalibus immortales quodammodo facit, vt & vitia omnia deponant, & in corpore quasi sine corpore viuant, superiores omni periculo, dolore, & morte; quid est, quare

CONSIDERATIO XXII. 179

quare non omnes ad Gratiā conuo-
lent, quos peccatum & vitiosus amor
sui ita timidos, ignauos & languidos
facit, vt etiam scientes prudentes, in
certum exitium agantur, feranturque
vanissimis terroribus, & illecebris: &
cū facillimum esset non peccare, ta-
men (horrendum dictu) vltro & gra-
uissimē quidem peccare non dubitent,
puerilibus delinuti blanditijs; quasi si
bos, sua pinguedine languens, filo tenui
alligatus ducatur ad victimam? Pro-
fecto si nihil aliud boni Gratia secum
afferret, quā quod liberet ab hac
ignauia & debilitate, qua in peccata
proruimus, animūque commasculat,
dignissima esset anteponi omnibus bo-
nis terrenis.

CONSIDERATIO XXIII.

*Gratia addi copiam auxilio-
rum cœlestium.*

- I. **N**on quod sufficientes simus cogi-
tare aliquid à nobis: quasi ex no-
bis: sed sufficientia nostra ex Deo
est.

1. Cor. 3. Mirificè commendatur hîc nobis Gratia Dei. Nam cùm ex nobis ipsis absque Deo nihil possimus, ne cogitare quidem, quod profit ad salutem; & quando peccauimus, etiam indigni sumus, quos Deus adiuuet; illa & indignitatem hanc aufert; & auxiliorum thesauros aperit nobis, vt radij salutare oboriantur oculis nostris, & benigno calore suscitatos, animatosque ad omne opus bonum permoueant. Quamuis enim, ex abundantia Pietatis Diuinæ, peccatoribus etiam oriatur Sol, nec desit auxilium sufficiens ad vitanda vltiora peccata; cùm etiam ad priora deponenda multis modis hortetur, ac iuuat: ordinariè tamen eorum nullus diu viuit, sine vltiore peccato; vel quia singulari adiutorio, quo peccatum vitarent, indigni; vel quia iam antea voluntate à Deo auersi, facile negligunt etiam reliqua eius mandata. Miseranda conditio hominis! *A seipso non habet, nisi mendacium & peccatum.* vt in Concilio Arausicano docetur can. 22.

Cogita

CONSIDERATIO XXIII. 181

Cogita quempiam nudum, sub dio iacentem inter vyperas, destitutum usu membrorum omnium, ac putrefactum usque ad ossa; qui tantum neque sensus, neque virium habet, ut inuocet opem; insuper indignum hac ipsa, & ita infensum ei, qui possit iuuare, ut plerumque opem, etiamsi liberaliter offeratur ab eo, impudentissime insipientissimeque reiiciat. Talis est omnis, qui in peccato, & sine Gratia est. Solus Deus, qui possit iuuare. *Tantummodo in me auxilium tuum*, inquit Osee 13. Sed hoc ipso auxilio peccator indignus est, nec uti vult, nisi speciali, & exquisito planè modo iuuetur. Improbis æger, qui medicinam, nisi gustui suo attemperatam, sumere nolit in morbo lethali! Hanc tamen omnem, & improbitatem, & indignitatem corrigit Gratia, ut affluant eis copiosè auxilia Dei, tanquam charissimis filiis; & ipsi amplectantur ea cum gaudio: quibus non solum graua peccata declinent, sed etiam constanter procedant de virtute

in virtutem: iuxta illud Sapientis; *Itin-
storum semita, quasi lux splendens procedit,
& crescit usque ad perfectam diem. Pro-
verb. 4.*

II. Operi manuum tuarum porriges
dexteram. *Job. 14.* Nemo satis æstima-
uerit hunc effectum Gratiae, nisi qui re-
putauerit, quanta sit nobis necessitas
huius coelestis auxilij. Etenim sicut na-
vis, fracto gubernaculo, illuc ducitur, quò
tempestas voluerit: sic & homo, diuina gra-
tiae auxilio perduto per peccatum, agit non
quod ipse vult, sed quod diabolus vult, ait
Author imperf. in Matth. Quare suis vi-
ribus homo, sine speciali auxilio, neque
potest à peccato resurgere; nec facere,
quæ necessaria sunt ad salutem, aut su-
perare vllam grauiorem tentationem;
imò ne leuiiores quidem diutius, quin
aliquando succumbat; ac si iustus non
sit, etiam denuo grauiter peccet. Ferè
vt ebrius, gressu vacillans, impulsu non
magno deijcitur: vel potiùs, tanquam
pulus, quem proijcit ventus à facie terra.
Psal. 1. Neque id mirum, quando etiam
iustis

CONSIDERATIO XXIII. 183

iustis dicitur *Matth. 26. Vigilate, & orate, ut non intretis in tentationem.* & à Paulo *Philip. 2. Cum metu & tremore salutem vestram operamini.* Quia videlicet ipsis etiam est opus auxilio speciali, ut diutius in bono perseverent, atque omne graue peccatum euitent. Nam omnia leuia à nullo prorsus vitantur, qui peculiare priuilegium, ut Mater Dei, consecutus non sit. O maxima nostra infirmitas! ô summa necessitas cælestis auxilij! quare non identidem clamamus; *Deus, in adiutorium meum intende: Domine, ad adiuuandum me festina. Vias tuas, Domine, demonstra mihi; & semitas tuas edoce me. Da mihi sedium tuarum assistricem sapientiam, & noli me reprobare à pueris tuis; mitte illam à sede magnitudinis tue, ut mecum sit, & mecum laboret; ut sciam, quid acceptum sit coram te omni tempore.*

Neque verò solùm extrema nostra necessitas pretiosa facit auxilia Gratiae; sed multo magis id, quod pro illis à Salvatore expensum est. Siquidem omnis
bona

bona inspiratio, omnis pius animi motus, omnis diuina protectio, vocatio, & cooperatio, comparanda fuit sanguine, & morte Filij Dei. Hinc tot in sacro-sancto eius corpore vulnera: hinc tanta profusio sanguinis: hinc tam acerba mors: quia comparandus erat infinitus thesaurus auxiliorum, quibus excitemur ad curam salutis, illuminentur tenebræ nostræ; trahantur, imò & compellantur in bonum rebelles nostræ voluntates; addantur vires ac sustententur, aptentur occasiones, compescantur inimici, depellantur obstacula, & omne opus bonum Deus operetur in nobis. Hæc est toties in Scripturis laudata Gratia Christi: hi sunt fontes Saluatoris, iugiter salientes in vitam æternam; præcipuè verò septemplici scaturigine Sacramentorum, quibus pretium Passionis, & meritorum suorum inclusit. O sacri fontes! ô aqua extinguens prauorum cupidinum sitim! ô non tantum eluens animas nostras, sed etiam penitus eas inaurans! ô rigans arbo.

CONSIDERATIO XXIII. 195

arborem nostram aridam, vt & fructus
ferat, cū esset emortua; & eos qui-
dem prestantiores ac salubriores, quā
posset suapte naturā, adde & vberiores
atque innumeros! *Ecce Deus Saluator
meus: fiducialiter agam, & non timebo.
Quia fortitudo mea, & laus mea Dominus,
& factus est mihi in salutē. Haurietis aquas
in gaudio de fontibus Saluatoris. Isa. 12.*

III. *Auferes spiritum eorum, & defi-
cient, & in puluerem suum reuertentur.
Psal. 103.* Deus ipse hæc auxilia sua,
quantumuis profusa, maximi facit; vt-
pote ex diuitijs Sapientiæ ac Potentiæ
sue ab æterno destinata, & singulari
amore, tanquam semina maiorum be-
neficiorum, ex meritis Unigeniti sui
deprompta. Quæ proinde ab homini-
bus repudiari, sentit grauissimè. Quare,
vt ipso aperiente manum suam, omnia
bonitate & vbertate replentur; ita cū
repulsus auertit faciem suam, iusto iu-
dicio ablata ab eis vitali inspiratione,
deficiunt omnia; & euanescente succo,
marcida reuertuntur in puluerem suū,
e quo

è quo producta sunt. Huius rei lugubre nobis exemplum præbent virgines fatuæ, quæ lampadibus, illustratione diuina accensis, neglexerunt addere oleum actionum bonarum: horrendum sapientes gentiles, qui quòd initia cognitionis veri Dei secuti non essent, traditi sunt in desideria cordis sui, in immunditiam, vt contumelijs afficerent corpora sua in semetipsis. Rom. I. terribile denique illi, quorum interitu Deus ridet, quia vocanti non responderunt. Prou. I. *Et verò plerumque fit, iussu Dei iudicio, vt qui gratiam vel neglexerit, vel repulerit; abutens donis Dei, & talentis Summi Patris familias, in primo ætatis vigore, dum fas erat; postmodum ad eam veniendi nequaquam recursus habeatur.* ait Gerson tract. de paruulis adducendis ad Christum.

Ne autem quis putet, in eos tantum exerceri graue iudicium, qui non audiunt reuocantem à peccatis; audiamus quid acciderit sponsæ, quæ, pro confirmatione amoris ad se visenti sponso prom-

CONSIDERATIO XXIII. 187

promptè morem non gessit. *Cant. 5°*
 Receperat illa se ad quietem corporis,
 cùm ex improviso, *Vox dilecti mei*, in-
 quit, *pulsantis*; *Aperi mihi, soror mea,*
amica mea, columba mea, immaculata
mea. Quem non excitent, imò per
 aquas & ignes attrahant verba tam
 dulcia? at illa; *Exspoliaui me tunica mea;*
quomodo induar illa? laui pedes meos; quo-
modo inquinabo illos? Friuola excusatio:
 per quod enim cænium erat eundum
 à lectulo ad ostium? sed ita excusabat
 se pigra; & fortè putabat, sponso per
 iocum negari posse intempestiuum in-
 gressum, neque id ægrè laturum: quia
 forsitan etiam non seriò cupiat ingredi,
 sed vesperi deambulans animi causâ,
 fores pulsaret, non ingrediendi volun-
 tate, sed demonstrandi, se ad sponsæ
 fores fuisse. At magno miseræ omnis
 hæc tergiversatio stetit. Nam ecce
 sponsus immissa, per ostioli, seu fene-
 stellæ foramen, manu minitans, vel vt
 alij volunt, bacillo percutiens eam, in-
 nuit fore, vt ignauam eius excusationis
 poeni-

pœniteat. Et pœnituit probè. Illa enim
 siue his minis territa, siue metu, ne re-
 ducto pessulo ingressus inueniret iacea-
 rem, cohorrui & intremuit; éque stra-
 to se corripiciens surrexit, vt aperiret di-
 lecto suo. Sed ecce 1. omnia myrrhina
 & amarissima, quæcunque tangebat.
Manus mee, inquit, *stillauerunt myr-*
rhæ, & digiti mei pleni myrrhæ probatis-
sima, id est, amarissima: scilicet in lo-
 cum dulcedinis, qua prius fluebant.
 2. Sponsum etiam ostio aperto non re-
 perit; iam enim declinauerat, ac trans-
 ierat. 3. Eminus tamen vocem aliquam
 increpatoriam emittens, neque se ta-
 men ostendens, tanto mœrore affectam
 reliquit, vt *liquefacta*, siue (vt Hebræus
 habet) à se egressa sit anima eius.
 4. Collectis ex hoc deliquio viribus, per
 varia opera pietatis ac pœnitentiæ, in-
 sequitur illum, sed frustra. *Quasiui il-*
lum, & non inueni: vocavi, & non respon-
dit mihi. Quia scilicet etiam ipsa vocan-
 ti non, vti volebat, responderas. 5. Ne-
 que hoc satis. Nam etiam pallio prote-
 ctionis

CONSIDERATIO XXIII. 189

ctionis diuinæ spoliata, & à circuitoribus percussa ac vulnerata est. O tristes, nimium piæ animæ plagas defectuum, & lapsum etiam grauiorum, etsi non lethaliū, quas infert neglectus inspirationis Diuinæ! 6. Omni spe suis conatibus reperiendi sponsi adempta, vertitur ad eiulatus, & clamores, inuocando filias beatæ Ierusalem, vt ipsæ suum sibi sponsum ostendant. 7. Sed neque illæ adeò promptæ, prius interrogant; *Qualis est dilectus tuus ex dilecto*, quem diligis præ omnibus? quasi dicerent; Nos quidem dilectum nostrum bene nouimus, & habemus nobiscum; sed quis & qualis sit tuus dilectus, ignoramus. Nostro enim paulò antè noluisti aperire, quasi haberes alium ipso chariorem. Dic ergo, qualis sit dilectus tuus, quem quæris. Hic iam datur occasio redeundi in gratiam, vt posteaquam operosè, & exquisitis modis eum descripsit, ac suam ei charitatem contestata est, eum tandem (etsi non sine comitatu & interuentu Beatorum)

rum)

rum) inueniat. 8. Inuēnit autem non iam in lectulo, vel reclinatorio aureo coronatum, qualis apparebat *in die dispensationis illius, & in die letitiae cordis eius*; sed in horto nucum; ad primas tirocinij exercitationes eam reducens: ut veluti nouo initio amandi facto, deinceps cautiùs discat seruare leges amoris, & promptior esse ad desideria sponsi.

Quis crederet, tantum esse in vna inspiratione Dei neglecta momenti? Cùm igitur Deus ipse tantopere sentiat auxiliorum suorum repulsam, æstimare possumus, quanto in pretio sint habenda: quanti etiam facienda Gratia, quæ talium nobis bonorum copiam affert, & ut Hildebertus *epist. 33.*

scribit, Officiosissima est erga homines, & quasi iurata in eorum obsequium.

CON-

CONSIDERATIO XXIV.

*Gratiâ Dei præditis assistere
multos Angelos.*

I. **I**mmittet Angelus Domini in circuitu timentium eum. Ps. 33. In Hebræo est, *Castrametatur Angelus Domini.* Cum tanta sit Angelorum potentia, ut unus eorum suppleat vicem exercitus, ut expertus est Sennacherib; sic tamen amant præditos Gratiâ, ut quasi positis castris eos circumdant, maximè si videant constituere in periculo. Tales exercitus Patriarcha Iacob, è Mesopotamia rediens, obuios habuit; vnde & locum illum *Castra Dei* vocavit, Gen. 32. Tales & Elisæus 4. Reg. 6. ministro suo, Syri exercitus metu perculso, monstravit. Ita Ioannes vidit Michaëlē, & Angelos eius præliari cum dracone pro muliere amictâ Sole: quæ figura est animæ, vestitæ Gratiâ Dei. Sic & Abbati Moyse, quondam in graui tentatione posito, Isidorus Abbas innume-

innumerabilem multitudinem Angelorum ad auxiliandum ei missorum, ostendit. *Vit. Pat. l. 6.* Hoc innuit sponsus, cum de anima dicit *Cant. 7.* *Quid videbis in Sulamite. nisi choros castrorum?* quia, teste S. Bernardo *serm. 39. in Cant.* *nunquam est sine Angelorum custodia, qui eam amulantur Dei amulatione, solliciti suo viro seruare, & virginem castam exhibere Christo.* Ergo Angelicus fulta ministerijs, & superno stipata agmine incedit. Nec frustra dicitur *Psal. 90.* *Angelis suis Deus mandauit de te, non, vni tantum Angelo suo.* Quia vnum Angelum custodem habent etiam mali: imò & bruta, virgulta, teste Origine in *Num. h. 14.* & *Ierem. h. 8.* Sed stipari à multis, est singulare priuilegium Gratiae; vt Dionysius Carthus. eo loco notauit. *Nunquam enim solus est iustus: sed ne vnus quidem aut duorum, vel trium Angelorum societate subnixus est; sed exercitus ei Virtutum coelestium praeesto est.* ait Origenes in *Psal. 36. h. 4.* vbi multis è S. Scriptura id probat. Nec desunt graues Authores, qui cum

CONSIDERATIO XXIII. 193

cum vincenti Christus promittit *Stellam matutinam*, *Apoc. 2.* existiment intelligendum esse aliquem è superiori-
bus Angelis; qualem constat S. Franci-
scæ Romanæ, aliisque tributum fuisse.
Certè secundum Apostolum *Hebr. 1.*
*Omnes sunt administratorij spiritus, in mi-
nisterium missi propter eos, qui heredita-
tem capient salutis. Omnes*, inquit, nec
summis exceptis. Hinc etiam ille, qui
Domino offerebat orationem Tobiaë,
fuit Raphaël, vnus è septem, qui ad-
stant ante Dominum, *Tob. 12.* O incom-
parabilis dignitas animæ Deo gratæ,
quæ tam numerosa, tamque præcellen-
ti stipatur custodia! quis non auerse-
tur peccatum, quod tanto ac tali co-
mitatu nos priuat: imò è contrario, cir-
cumdat teterrimis bestiis, & agminibus
malorum spirituum?

II. *Omnes sunt administratorij spiri-
tus. Hebr. 1.* Quæras, quid sibi velint tot
Angelorum excubiæ, cum vnusquisque
sit instar totius exercitus; & quid sibi
velit vnus hominis ita ambitiosa cu-
stodia.

K

stodia.

stodia. Sed eius rei multæ sunt causæ. Nam 1. necessitas aliquando postulat, ut multi Angeli veniant in auxilium hominis; quia magna sæpe multitudo dæmonum venit in eius exitium: sicut Abbati Moyse ostensum est. Sanè cum integræ legiones dæmonum sæpe vnius hominis corpori insideant, mirum non est, si multi quoque ad iustum è Gratia deturbandum accedant. Nec dubium, quin magni sæpe inter Angelos pro eius conseruatione conflictus fiant, licet hoc ipse minimè sciat. 2. Valde præstantia & magni in celo momenti, sunt opera, quæ faciunt iusti. Hæc ut rectè fiant, atque ut Deo dignum est, valde student Angeli. Cum itaque orant homines, cum Sacris operantur, aut aliud quidpiam præstant obsequij diuini, assistunt, & allaborant, ut sanctius fiat, arcant hostes, adiungunt suas actiones & laudes; quibus nostras commendant, ornantque; vel defectus compensant, emendant: si quid accuratè fecerimus, gratulantur, & eius se socios ac parti-

CONSIDERATIO XXIV. 195

participes faciunt. Ita sæpe visi sunt altare sacrificantibus: ita iungi canentibus laudes Divinas, & simul psallere: ita notare labores, numerare passus, Dei Gratiâ factos. 3. Quia nouerunt, quantum Deus delectetur incrementis iustorum, quantumque hæc ipsis afferant boni, Angeli certatim laborant eos prouehere. Hinc est, quod sponsæ promittunt, *Cant. 1. Muranulas aureas faciemus tibi, vermiculatas argento.* i. parabimus tibi multa opera charitatis, & aliarum virtutum, vt explicat Psellus apud Theodoretum. 4. Cùm peculiari modo, & iucundissimè Deus inhabitet animam iusti, quid mirum, si summi infimique Angeli magno numero simul assistant? Etenim si, vt Leontius Abbas vidit, Angelus altari consecrato semper assistit, & eidem dixit, *Ex quo sanctificatum est hoc altare, ego iugiter illi astare iussus sum*, nempe quòd aliquando tempore sacrificij, sit in eo corpus Domini: quid mirum, si ex quo sanctificata est anima, iugiter astent ei, cùm

K 2

iugiter

iugiter maneat in ea Spiritus Sanctus, in quem desiderant Angeli prospicere? 1. Pet. 1. 5. Quin etiam tanta pulchritudo est Gratiae, ut omnes res à Deo creatas præcellat, Magis ergo delectantur Angeli eius aspectu, quam totius mundi, & suæ ipsorum naturæ longè pulcherrimæ. Nec mirum est, si in amœnissimum pratum innumeræ conuolent apes. 6. Denique mouet eos exemplum Domini sui. Audi, quid dicat Origenes in *Ezech. hom. 1. Obsequuntur salutis tue Angeli: concessi sunt in ministerium Filij Dei, & dicunt inter se; si ille descendit, & descendit in corpus; si mortali indutus est carne, & sustinuit crucem, & pro hominibus mortuus est; quid nos quiescimus? quid parcimus nobis? Eia omnes Angeli descendamus à calo. Ideo & multitudo militia celestis erat, laudantium, & glorificantium Deum, quando natus est Christus. Omnia Angelis plena sunt.*

III. Dabo vobis pastores iuxta *cor meum. Ierem. 3.* Finge animo ouiculam, quam rex ita diligat, ut eius pascendæ

&

CONSIDERATIO XXIV. 197

& custodiendæ curam det præcipuis regni sui proceribus, imò & filiis regijs; qui tueantur eam à lupis, agant ad lectissima pascua, fessam portent manibus, sollicitè omnes eius gressus obseruent, ac referant regi, quot passus quotidie fecerit, vbi pauerit & cubuerit in meridie, an ruminauerit; quàm niteat lana, quantum creuerit, quid gratiosi in illa notârint, & alia denique omnia, quæ ad ipsam pertinent. Quam felicem tu putabis hanc pecudem? quàm pretiosam? Nec si vellus aureum habeat, ambra & balsamo fudet, adamantes & vniones emittat, videbitur talem curam mereri, vt principes & filij regis illi assistant, pro illa decertent cum vrsis & lupis, tantum denique ad omnes eius gressus & balatus attendant. Anima hominis longè debilior ac simplicior oue, inter sæuissimos lupos, per optima pascua ducitur, nobilissimis pastoribus è cælo adiunctis, qui longè diligentissimè illam custodiant, ac ferant in manibus, Origenes *hom. II. in Num.* compa-

rat Angelos agricolis, vbi de primitijs agit, quas ait Deo offerri per Angelos ex agris huius mundi. *Agri autem Angelorum*, inquit, *corda nostra sunt: unusquisque ergo eorum ex agro, quem colit, offert primitias Deo.* O felices agri! ô fortunatae oues, quas colunt & pascunt Angelicæ mentes, illa signacula Dei, & prima exemplaria post Deum, quæ totam pulchritudinis boniformis Deiformitatis accipiunt; illi purissimi Spiritus, qui toto semper conatu feruntur in supremum bonum, ac semper vident faciem Patris; illi pleni virtute & sanctitate; illi sic defixi in bono, vt ab eo dimoueri non possint; illæ nobilissimæ & immortales naturæ, plenæ potentia, sapientia & bonitate. Quid est, quod tantum nobis fauorem conciliat, vt suos Spiritus Deus Angelos faciat, & Ignes illos vrentes iubeat nobis ministrare? vt vnus peregrini, in platea iacentis, animam exituram è corpore præstolentur ipse Magnus Michaël, & Admirabilis Gabriel; eadēque cunctante

Et ante exire, submittantur innumeri
 cælestes Chorauli, qui dulcibus modu-
 lis delinitam eliciant, vt exeat absque
 molestia? *Vit. Pat. l. 6. lib. 3. n. 13.* Quid
 oro facit hæc omnia? Gratia, Gratia.
 O diuina Gratia! ô homo agnosce,
 quantum boni habeas per Gratiam, &
 præcipe tuæ menti cum S. Macario:
Vide, ne descendas de cælis. Habes Ange-
los, Archangelos, omnes supernas Potesta-
tes, Cherubim & Seraphim; Deum omnium
horum effectorem. Illic versare; ne sub cæ-
los descenderis; ne incideris in mundanas
cogitationes. Pallad. in Lausiac. c. 20. Dic
 cum S. Sophronio; O vos omnes superni
 Regis administri, qui Creatoris volunta-
 tem indefesse perficitis: conseruate vitam
 meam inoffensam, spem in fractam, dilectio-
 nem erga Deum & proximum integram,
 & ab omni offensione liberam. *Manu. qua-*
so, me ducite, & deducite, & ad omnem sa-
lutarum, Deoque acceptam semitam
dirigite. Bibl. PP. Tom. 7. orat. 6.
de Angg.

CONSIDERATIO XXV.

Operibus iustorum à Gratia tribui ingentem valorem.

I. **F** *Ructus iusti lignum vite. Prou. II.*
 Ingens & hæc est amplitudo
 Gratiæ, quòd per quæcunque
 opera bona iustorum augeat seipsam,
 dètque eis valorem & virtutem prome-
 rendi vitam æternam. Dico *quæcunque*:
 Nam vt non sola Mors, sed etiam quæ-
 cunque bona opera Christi Domini
 vim habebant redimendi genus huma-
 num, & infinitum valorem trahebant
 à dignitate Diuinæ personæ: ita non
 heroica solùm Charitatis, aliarumque
 virtutum, sed etiam alia opera bona iu-
 storum, valorem accipiunt à dignitate
 operantium, quam eis dat Gratia, vel
 potiùs Christus, cuius viua sunt mem-
 bra per Gratiam. Quod cum S. Thoma
 docent grauissimi Theologi, & indicat
 S. Concilium Tridentinũ *sess. 6. can. 26.*
docens, iustos expectare debere æter-
nam

CONSIDERATIO XXV. 201

nam retributionem pro operibus, *quæ in Deo fuerint facta.* Quia scilicet, Authore S. Gregorio 22. *Moral.* 12. *Deo placent opera propter hominem.* Ideo sponsus profitetur mirificè se oblectari, & capi à sponsa omnibus, etiam minimis eius bonis, corporis & animi motibus. Quid faciliùs pia cogitatione ac proposito? *Vulnerâsti,* inquit *Cant.* 4. *cor meum, soror mea sponsa, vulnerâsti cor meum in uno oculorum tuorum, & in una crine colli tui.* Oculis destinationes, crinibus cogitationes bonas designat. Quid minus bono verbo? *Sonet vox tua in auribus meis; vox enim tua dulcis.* Sicut *vitta coccinea labia tua, & eloquium tuum dulce.* *Fauis distillans labia tua, sponsa: mel & lac sub lingua tua.* Quid parabilius benigno aspectu? *Oculi tui columbarum.* *Oculi tui sicut piscina in Hesebon.* videlicet simplicitate ac puritate sua gratissimi. Denique & gressibus, & vestimentis suâ causâ positis, aut assumptis, & ipso adeo somno in Deum relato ait se delectari. *Quàm pulchri sunt gres-*

sus tui? odor vestimentorum tuorum, sicut odor thuris. Adiuro vos, ne suscitetis eam, donec ipsa velit. Omnia denique in ea sibi placere ostendit. Quàm pulchra es, & quàm decora, charissima in delicijs? Totā pulchra es, amica mea, & macula non est in te. Emissiones tuæ paradisi malorum punicorum, cum pomorum fructibus.

Quam igitur admiranda res est Gratia, quæ omnibus, etiam leuissimis, actionibus tantum dat amabilitatis, & elegantiae, ut ijs delectetur infinita Maiestas, & præmium dare velit, non quaecunque, sed seipsum, ut eo in æternum fruamur? Assumat quis in statu peccati omnes poenitentias & austeritates, quas omnes Eremitæ vnquam fecerunt ab initio; det ingentes thesauros pauperibus; ieiunet vsque ad cutem & ossa; nihil condignè meretur his omnibus. Alius in Gratia positus det sitiienti Amore Dei haustum aquæ frigidae, pio suspirio inuocet nomen IESV; pro tantillis actionibus recipiet vitam æternam: longè utique maiore discrimine

mine, quàm si cui, pro eo, tantùm voluerit nomen suum dare militiæ, nunquam autem arma gestarit, daretur integrum regnum; cùm interim alteri, qui plurimis annis militauerit, non sine grauissimis laboribus & vulneribus, pro stipendio detur tantùm vnus teruncius. O quantâ curâ seruanda est Gratia! quàm properandum, vt liberemur à peccato mortali, si fortè incidimus?

II. *Quod in presenti est momentaneum, & leue tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis.* 2. Cor. 4. Dignissima res, quæ ampliùs ponderetur. Si ergo ponas in vna lance plumam, aut stipulam, in altera mille magna talenta, pluma sola nunquam veniet ad æquilibrium, nisi apponatur pondus æquale alteri lanci. Vt opera exigua, qualis est habitus aquæ frigidæ datus amore Dei, operentur, seu mereantur tibi rependi æternum, *supra modum in sublimitate.* hoc est, nimis quàm excedens gloriæ

pondus, quid facit? quia in Gratia, in Deo sunt facta. Per se non sunt condigna passionibus huius temporis ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis: Gratia facit condignas: Gratia illas adæquat gloriæ, felicitati summæ, consummationi omnis boni, gaudio infinito. O bonitas effusa! ô inaudita pietas! ô ineffabilis affectio! in societatem census pastor oves assumit, atque ad consortium dominationis seruos Dominus adsciscit, ad participatum regni Rex gregem populo totius admittit. Sic, sic dat, cui deficere census, cui regnum minui, vacuari potestas non potest largiendo ait S. Chrysologus ser. 23. Gratia facit, ut pro leui patientia, pro pio suspirio detur integrum regnum, regnum Dei. Quid est regnum Dei? Non imperium totius orbis terrarum, non dominium totius creaturæ, non principatus Angelorum; maius quid, multoque admirabilius est regnum Dei. Est ipsius Dei æterna beatitudo, fruitio Dei ipsius, nullius alterius boni indigentia, felicitas infinita. Hæc datur & multiplicatur

plicatur pro quolibet bono verbo, cogitatione aut opere, quantumvis facili & exiguo. Quid maius dare posset Deus pro minimo? aut quid minus homo præstare pro maximo præmio? Quid ergo cessamus, posteaquam semel Gratiā, tantorum bonorum feracem, consecuti sumus, in ea proficere de die in diem, & ire de virtute in virtutem, *ut ambulemus dignè, Deo per omnia placentes, in omni opere bono fructificantes, & crescentes in scientia Dei?* Colos. 1. *Surge, propterea amica mea, columba mea, formosa mea, & veni, clamat Sponsus Cant. 2. Qui iustus est, iustificetur adhuc, & sanctus sanctificetur adhuc: ecce venio cito, & merces mea mecum est, reddere unicuique secundum opera sua. Apoc. 22.* Multo verò magis caueamus amittere tantum bonum, tantumque lucrum per lethale peccatum abrumpere. Nec parvam putes eam iacturam. Nullus mercator ita insanit, ut magnam auri vim, quā plurimum lucrari poterat, iactet in mare, sub spe, quòd post
 K 7 annum,

annum, aut mensem eam sit repertu-
 rus. Nam & recuperatio incerta est,
 & damnum grauissimum. Nemo ita-
 que abijciat Gratiam per peccatum,
 cum spe illam recuperandi per poeni-
 tentiam. Nam & hæc incerta, neque in
 eius potestate est, sed fieri debet opere
 miserantis Dei, quod est maius omni
 miraculo. Deinde vt nihil dicamus,
 eum se conijcere in statum, in quo pos-
 sit omni spe suâ multari: nihil etiam,
 quod post tanta dona Deum offendat,
 diabolo se mancipet, factus proditor
 Dei: sola lucri cessantis iactura est in-
 comparabilis, & maior, quàm mille
 regnorum. Et hanc pro leuissima vo-
 luptate, vanissima cupidine quisquam
 velit subire? Neque lucrum illud tan-
 tum in futurum speratur, sed præsentia-
 neum est. Gloria differtur in alteram
 vitam, sed augmentum Gratiæ, con-
 iunctorumque bonorum, mox datur
 pro merito, facitque, vt merita sequen-
 tia sint maioris valoris; quia semper au-
 getur etiam dignitas operantis. Et ta-
 men

men ipsius præmij, quod in futurum differtur, augmentum vilipendendum non est. Meritus es vnum talentum gloriæ; facillimè potes consequi plurima: an hoc augmentum gloriæ negligendum existimas? O quot occasiones negligimus! non sic Apostoli, qui propter Christum totâ die mortificabantur, *Rom. 8.* Mortificemus igitur & nos membra nostra super terram. *Colos. 3.* Nec prætereant nos vlla particula boni doni. *Eccl. 14.* Maximè cum, saltem internæ prauorum appetituum mortificationis, neglectûs culpâ non vacet. Neque enim vt operis poenitentia, sic & patientia occasio oblata sine culpa potest omitti. Ergo, *fili, si habes, benefac tecum, & Deo dignas oblationes offer.* *Eccl. 14.*

III. *Conuertam manum meam ad te, & excoquam ad purum scoriâ tuam, & auferam omne stannum tuum.* *Isa. 1.* Duplex est valor, quem operibus bonis dat Gratia, promerendi gloriam, & satisfaciendi pro poena debita Deo. Et
ista

ista quidem grauissima est : quantam
 scilicet cogitare possumus, si Deus
 Omnipotentia suæ manum conuertat
 in animam, quasi minimè distractis vi-
 ribus ad alia interim facienda, sed totus
 intentus illi puniendæ, donec excoqua-
 tur ad purum. Horrenda prorsus pœna
 est ista, quam collectis viribus, omni-
 que studio infligit ipsa Omnipotentia
 Dei, quod vis creata quæcunque ad
 eam exequendam sit insufficiens. Hinc
 est, quod S. Bernardus serm. de obitu
 Humberti dicit, in altera vita pro ne-
 gligentijs huius centuplum solui. Hinc
 S. Gregorius facit pœnas illas omnibus
 tormentis Martyrum grauiores; & An-
 gelicus etiam acerbissimis cruciatibus
 Christi; S. Augustinus omnibus pœnis,
 quas ullus in hac vita pertulerit, & vt
 S. Anselmus addit, possit perferre; imò
 & excogitare, vt S. Cæsarius docet
hom. 8. Denique idem est ignis, quo vti-
 tur Deus in excoquendis iustis, & in
 exurendis damnatis : ac licet in illis
 temperatior, talis tamen, vt pro pœnis
 æter.

æternis ad iustitiæ Diuinæ rigorem castiget in tempore. Et ista quidem tantum est poena sensus; altera verò damni, quòd à Dei conspectu prohibentur, multo acerbior. *Hei mihi, quia incolatus meus prolongatus est! quemadmodum cervus desiderat ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te, Deus: quando veniam, & apparebo ante faciem tuam?* ita deplorabat suam conditionem Propheta, flagrans desiderio vultus Diuini; neque vlla regia pompa, aut gloria abstergebat ei mœrorem. Quanto, putamus, grauior est hæc mora sanctis animabus, iam liberatis à corpore? Non dubium, quin igne externo magis internus hic eas excruciet.

Om nibus his poenis Gratia sola obstitit, dum operibus iustorum tribuit vim eas expungendi; nec vim qualemcunque, sed centuplam, vt molestiâ vnius operis boni tantum deleatur de poena, quantum si centuplo fuisset molestius. Quàm felicem putarent omnes eum, qui priuilegium obtinuisset à re-

ge, ut omnes eius denarij valeant cen-
tum? Habet hoc quodlibet bonum
opus factum in Gratia; neque hoc tan-
tum, sed etiam, ut valeat satisfacere
pro debitis aliorum: cum è contrario,
quidquid laborum, infirmitatum, &
ærumnarum patiuntur Gratiâ destitu-
ti, nec mereantur quidquam, nec sol-
uant. Ut iam noua sit causa cauendi, ne
vnquam sine Gratia simus. Quin etiam
ijs, qui damnantur, prodest, aliquan-
do fuisse in Gratia: nam tanto minus
patiuntur poenarum, quanto plus per
opera, in Gratia facta, dissoluerint.
Denique tantus est valor operum fa-
ctorum in Gratia, ut ea Deus in hac vi-
ta sufficienter compensare non possit;
sed sola sui ipsius possessione æter-
na. O stupenda vis
Gratiæ!

CON.

*De admirabili Communione
Sanctorum, quam Gra-
tia facit.*

I. **P**articeps ego sum omnium timen-
tium te. *Psal.* 118. S. Augusti-
nus exponit hæc verba de Chri-
sto, qui per assumptionem carnis hu-
manæ, factus est particeps omnium
Deum timentium. Si Christus dicit
gratulabundus hoc Patri, quanto iu-
stius David, & quilibet pius id facit?
Est enim ingens hoc beneficium Gra-
tiæ, quod faciat omnium bonorum, quæ
habent Sancti Dei, participes; à quibus
peccatores exclusi sunt. Nam 1. viuunt
omnes eodem Spiritu Sancto, à quo
mouentur & animantur. 2. Quod vni
deest ad debita soluenda, sumere po-
test ab alio: nam vnusquisque potest
satisfacere pro altero. 3. Sunt etiam,
per indulgentiam Ecclesiæ, participes
redundantium satisfactionum; quæ
sunt

sunt immensæ & inexhaustæ in sacro thesauro : ad cuius cumulum Beata Dei Genitricis, & omnium electorum merita, à primo iusto usque ad ultimum, adminiculum prestare noscuntur : de cuius consumptione, seu minutione non est aliquatenus formidandum, tam propter infinita merita Christi; quàm pro eo, quòd quanto plures ex eius applicatione trahuntur ad iustitiam, tanto magis accrescit ipsorum cumulus meritorum. Extravag. Vnigenitus. de pœn. & remis. Quo fit, ut non absumantur, & expendantur merita iam huius, iam alterius Sancti, ut aliquando nihil amplius ex meritis illius supersit : sed omnia semper maneant in cumulo, & iuncta meritis Christi moueant Deum, ad condonandas illi pœnas, cui applicantur à dispensatore thesauri : ferè ut in contractu societatis humanæ, quod erogatur, non ex huius, aut illius symbola erogatur, sed ex massa communi, cuius omnes socij semper sunt participes, licet multo plus expensum iam sit, quàm singuli contulerint. O felicem, qui

CONSIDERATIO XXVI. 213

qui gaudet opibus tot Sanctorum !
 At ô miserum illum, cui ex tanto æra-
 rio ciuitatis, in summa inopia sua,
 nec obolus detur, aut possit prodesse !
 4. Lytrum sacrificij, & Sacramenta om-
 nia sunt iustis communia; quæ (præter
 pœnitentiam) peccatoribus adeò non
 profunt, vt si suscipiant, eis in venena
 vertantur. Atque ad hanc, tam tristem,
 excommunicationem, non est opus
 censura Summi Pontificis, ac tremendo
 processu; sola quemque conscientia
 tantorum bonorum facit extorrem.
 Vide sis ergo, quid agas, cum peccas.
 Perinde est, ac si diceres; Nihili duco
 hæc bona, & istos thesauros: non volo
 Deum habere pro Patre, neque Spiri-
 tum Sanctum pro mea vita, nec Ange-
 los pro fratribus: renuncio omni iuri
 ad regnum cœleste, quod in baptismo
 accepi: remitto promissiones mihi fa-
 ctas à Deo: neque ego illi soluere volo,
 quod debeo, neque vt alius soluat pro
 me. Satanae me obstringo, cui renun-
 ciaueram. Pœnitet me nomen Deo de-
 disse, & inter Sanctos adscriptum. Nolo
 parti-

particeps fieri Sacramentorum, aut Sanguinem Christi mihi plus prodesse, quàm dæmonibus. Nihil cum ipso, neque cum Sanctis volo habere commune. Abominabiles voces! & nihil tamen aliud profiteris re ipsa, cùm peccas, & abijcis Gratiam Dei.

II. *Ego sum vitis, vos palmites. Io. 15.* Magna est eà communio, de qua iam dixi, ac tanta, vt si nihil aliud boni afferret Gratia Dei, meritò esset anteferenda omnibus rebus; sed maior est illa, qua iustos inserit Christo, vt palmites viti, & tanquam capiti membra connectit. Qua in excellentia continentur aliæ multæ, per quas etiam beatos illos Spiritus non parum præcellimus. Nam etsi non diuersi generis sit Gratia, quæ nobis datur, quàm illis, nostræ tamen æstimatio inde augetur, quòd sit Gratia Christi. 1. Quia cùm esset amissa, est recuperata à Christo. Vnde calo gratulationes illas, & festa indicit in parabola ovis, & drachmæ repertæ. 2. Quia recuperata tam ca-
rò.

rò: *Empti estis pretio magno*, inquit Apo-
 stolus 1. Cor. 6. utique magno. Si æsti-
 matio rerum à pretio sumitur, Deus
 Angelos eadem operâ Gratia donauit,
 & condidit. Sed hominum Gratia tan-
 to plaris à Deo fit, quòd Vnigeniti san-
 guine comparata, in quo sibi Pater
 æternus complacuit. Ex quo etiam gra-
 uiora sunt nostra peccata, quàm Ange-
 lorum, quòd ijs Gratiam Christi morte
 recuperatam perdamus. 3. Quia sin-
 gulari modo Christo nos vnit. Nam vt
 alia Diuinæ ipsius Personæ coniuncta,
 summam ab infinita Sanctitate eius di-
 gnitatem accipiunt; ita & Gratia, quæ
 facit nos membra eiusdem personæ.
 Meritò ergo S. Leo *serm. v. de Natiuit.*
 nos monet, vt meminerimus, cuius ca-
 pitis, & cuius corporis membra simus;
 ne à dignitate nostra redeamus in ve-
 terem vilitatem. 4. Præterea verò Gra-
 tia, licet nobis gratis donata sit, tamen
 Christo capiti nostro debita fuit ex iu-
 stitia. Vnde non modicus honor in
 membra redundat, quòd amicta sint
 pur.

purpura Gratiae, debitæ sibi in Capite.
 5. Hinc porro fit, ut nunc magis meritoria sint opera iustorum, & magis acceptæ orationes, quàm essent in eo statu, in quo Gratia æquè magna donati essemus, sed quæ non faceret nos membra Christi, nec fundaretur in meritis eius. Nam utcumque præstans sit Gratia suapte natura, tamen ex eo, quòd data sit per Christum, in gradu æquali multo plus valet, atque etiam efficit. Ideo nunc plures, insigni sanctitate illustres homines extiterunt, intra paucos annos, quàm essent fortè longo tempore in statu Innocentiæ. Quis ergo non strenuè se in omni genere virtutum exerceat, ne si fructus non ferat, excidatur à tam nobili radice, & in ignem mittatur?

III. De plenitudine eius nos omnes accepimus. Ioan. I. Nam & nos omnes, qui Sanctorum locum possidemus, proprijs ipsius bonis locupletati sumus; & natura humana illius bonis magis, quàm suis gaudet. De plenitudine namque Filij, quasi ingi
 fonte,

CONSIDERATIO XXVI. 217

fonte, Gratia donum scaturiens, in singulas animas, quæ dignæ sunt, defluit. ait S. Cyrillus l. 1. in lo. c. 20. Vbi duo de ista communione cum Christo notanda sunt, consideratione dignissima. Primum est, quòd Gratia nostra magis Christi, quàm nostra sit, Omnis enim Gratia, quæ secundum ordinariam Dei legem futura est, Christo debetur ex merito, ex Christi inexhausto, & nunquam minuendo, thesauro promitur, quæcunque datur hominibus: non quòd eadem in re Gratia per Dei potentiam sit in Christo, & hominibus, ut anima in capite & membris, quemadmodum nonnulli existimant; sed quòd in homines à Christo dimanet: ferè ut lux à corpore Solis, propter copiam sui, toto cælo diffunditur, & illud illuminat, à solo tamen Sole, ut à proprio fonte dependet; quippe quæ perspicuo infundatur, tantum ut qualitas aduentitia, autore S. Thomâ in lib. de sens. lect. 16. Ita Gratia omnis est in Christo, velut in proprio subiecto, dignissimo

L

&

& capacissimo; quia verò ipse plenus est, redundat in homines. Atque ut posterius Adami, si non peccasset, ab illo per generationem in se derivatâ Gratiâ, rectè dicerentur ditati bonis paternis; ita Christiani, dum regenerantur in Christo, Gratiâ tanquam proprio eius bono locupletantur, non plenitudinem, sed de plenitudine eius adepti. In quo sunt multo feliciores Angelis. Vnde qui magna maiestate Moysen, Danielelem, & alios sanctissimos homines, cum eis iussu Dei locuturos, olim terrebantur: iam reuerentur in istos, & ut S. Gregorius ait, *hom. 8. in Euang. naturam nostram, quam prius despexerant, postquam hanc supra se constitutam conspiciunt (per Gratiâ derivatam à Christo) prostratam sibi videre pertimescunt.* Alterum est, quòd iugi fonte Gratia ex Christi plenitudine defluat. Nam hodie pluribus & efficacioribus modis acquiri, & conseruari potest, quàm olim: affluit maiore copia, & cum fortioribus auxilijs ad exercendas virtutes, ac tentationes vincendas.

CONSIDERATIO XXVI. 219

das. Ideo plures etiam, & clariores Sanctos protulit Lex Christiana, quæ ideo rectissime vocatur Lex Gratiæ. Quæ Gratia in antiquis non potuit habere plenum effectum: neque enim liberabat eos à conditione seruili, neque ad eam familiaritatem Dei communiter adducebat, quæ postea fuit. Quare etiam Dominus aiebat; *Iam non dicam vos seruos; quia seruus nescit, quid faciat dominus eius. Vos autem dixi amicos; quia omnia, quaecunque audiui à Patre meo, nota feci vobis. Ioan. 15.* Et quamuis antiquis Gratia daret ius regni caelestis; tamen in vita non gaudebant omnibus illis priuilegijs filiorum Dei, quibus iusti nunc gaudent; neque post mortem licebat eis hereditatem adire, priusquam Christus mortuus esset. O dulcissime Iesv, vnicum bonum nostrum, Redemptor hominum, honor nostræ naturæ, Tibi debemus, quòd nos honorant beati Spiritus propter Gratiam tuam. Da, vt ipsi quoque dignè æstimemus eandem, & grati simus pro in-

L 2

finito

finito amore tuo, quo sic nos honorare
 dignatus es. Quærunt Theologi, plúne
 tibi obstricti sint, qui semper manse-
 runt in Gratia, quàm qui post pecca-
 tum in eam recepti sunt: ac censent, li-
 cèt maius sit beneficium innocentiae
 spectatum in se, tamen Gratiae receptae
 maius esse, ratione eius, qui indignum
 se reddidit. Angeli sancti nunquam
 peccauerunt: nos omnes peccauimus,
 omnes amisimus gratiam nobis dona-
 tam initio; omnes per te, benignissime
 IESV, reconciliati sumus. Omnes igitur
 magis tibi obstricti sumus, quàm
 Angelorum phalanges. Cùm ergo ma-
 gis obligati simus tibi, quàm Angeli,
 quomodo te offendimus, sicut diaboli?
 si gratiores tibi esse debemus, quàm
 Seraphici Spiritus, quomodo hinc
 obliuiscimur, sicut pecu-
 des brutæ?

* *
 *

CON.

CONSIDERATIO XXVII.

*Cum Gratia dari etiam bona
temporalia.*

I. **Q**uarite primum regnum Dei, & iustitiam eius, & haec omnia ad-
ijcientur vobis. Luc. 12. Magna
felicitas, in vna re possidere omnia.
Quod nulla potest auaritia consequi,
hoc affert iusto Gratia Dei, vt habeat
omnia, quæ potest ac debet expetere;
quia dat, quidquid est necessarium ad
consequenda bona æterna. Promittit
hoc ipsa Veritas. Aspiremus ergo pri-
mum ad vitam æternam, ad regnum &
gratiam Dei, & aderunt nobis etiam
omnia, quæ ad vitam temporalem sunt
necessaria. Habentibus Gratiam dicit
Apostolus 1. Cor. 3. *Omnia vestra sunt,*
sive Paulus, sive Cephæ, & alij Sancti, quia
pro vobis laborant in terra, & interce-
dunt in cælo. Sive vita, sive mors; quia
vtraque cedit in vestrum bonum: sive
presentia, sive futura; quia nec illa dee-
runt

runt vobis, & ista reservata sunt vobis. *Omnia vestra sunt, vos autem Christi, & Christus est vester;* quia vobis datus, vobis natus & passus est. Imò etiam Deus est vester; quia Deus est in Christo, *mundum reconcilians sibi. Quòd autem Deus desit seruo suo, amico, & filio, ut ei non provideat, quæ sunt necessaria, valde peruersum est sentire: nam talis habet Deum, & talis habetur à Deo; & ideo habet per consequens, quæ habet Deus.* ait S. Bonaventura in Luc. 12. Si providit ei Deus, antequam esset; imò etiam cùm inimicus esset; utique non deseret eum, quando est fidelis servus, sincerus amicus, & obediens filius. Audi, quid dicat per Prophetam Isa. 49. Nunquid obliuisci potest mulier infantem suum, ut non misereatur filio uteri sui? etsi illa oblita fuerit, ego tamen non obliuiscar tui. Ecce in manibus meis descripsi te, muri tui coram oculis meis semper. Quomodo poterat exprimi tenerior amor & sollicitudo amantissimi Patris? Quam plus etiam dixit apud eundem

CONSIDERATIO XXVII. 223

C. 46. Audite me, domus Iacob, & omne residuum domus Israël: qui portamini à meo utero; qui gestamini à mea vulua. Usque ad senectam ego ipse, & usque ad canos ego portabo. Ego feci, & ego feram: ego portabo, & saluabo. Ecce iam non amplius dulcedinem tantum, plusquam maternam proficitur; sed etiam necessitatem agnoscit in se, suos alendi. Nam potest mater nonnunquam vbera negare filio, quem gestat in sinu, at alimonia ei, quem adhuc in utero gerit, negare non potest: proprio sanguine nutrit eum, naturâ cogente. Ita suos Deus alit ipsa carne & sanguine suo: quia non tantum in manibus gestat, sed intra viscera sua; quæ sunt ipsa Misericordia Dei. Abscondit eos in abscondito faciei suæ, protegit eos in tabernaculo suo. Psal. 30. Eruntque antequam clament, ego exaudiam, dicit Isa. 65. & qui tangit vos, tangit pupillam oculi mei. Zach. 2. Denique propter iustos benefacit etiam alijs; quod confessus est Laban Genes. 30. Experimento didici, quia

benedixerit mihi Deus propter te. & Iacob ad eum; Modicum habuisti, antequam venirem ad te; & nunc dives effectus es, benedixitque tibi Dominus ad introitum meum. Summa: dicite iusto, quoniam bene. Isa. 3. Bene, inquam: Non dicit, quàm bene, vel in quo bene; sed indefinitè, Quoniam bene. Pater hoc nunciari vult ipsi, Pater omnipotens, Pater omni matre tenerior: nunquid hoc satis est filio? Benedictio Domini super caput iusti: benedictio Domini divites facit, nec sociabitur eis afflictio. Prou. 10. Oculi Domini super timentes eum; protector potentia, firmamentum virtutis, tegimen ardoris, & umbraculum meridiani, deprecatio sue depulsio offensionis, & adiutorium casus, exaltans animam, & illuminans oculos, dans sanitatem, & vitam, & benedictionem. Eccl. 34. Semper itaque lateatur iustus; quia cum Gratia pariter ei venerunt omnia bona, etiam temporalia. Si quid abfuerit, certus est compensari meliore. Nam sine limitatione & exceptione dicit ei Summa Veritas,
quo-

CONSIDERATIO XXVII. 225

quoniam bene. Chaldæus habet, *quoniam beatus est.* Beatis autem nihil deest. Narrauit mihi Vir illustrissimus, se aliquando putasse, per Aulæ negotia fieri non posse, vt quotidie S. Missæ officio interesset: sed vbi difficultatem peruasit, luculentissimè comperisse, nihil ea pietate se impeditum in munere suo, quod occupatissimum erat; & honoribus opibusque suis plurimum accessisse. Dicite iusto, quoniam bene.

II. *Quoniam ipsi cura est de vobis.* 1. Pet. 5. Ideo vult Apostolus omnem sollicitudinem nostram proijci in Deum: cùm enim ipsi cura sit de nobis, meritò ægrè feret, nos assumere sollicitudinem, & inuolare in eius officium, quasi vel ipsius cura non sufficiat nobis, vel nos melius aliquid nobis providere possimus. Quod ipsum Dominus vberius executus est Luc. 12. dum suis prohibet anxiam, intempestiuam, Deo diffisam curam, quæ cor impeditum à diuinis obsequijs humi defigit, ac discruciat; atque etiam de necessarijs non vult esse

sollicitos, cura Prouidentiae Diuinæ
 commissa. Cūque ad hoc sola præci-
 pientis autoritas potuisset sufficere, di-
 gnatus est etiam grauissimis argumen-
 tis id confirmare. *Anima, inquit, plus*
est, quàm esca; & corpus plus, quàm vesti-
mentum: qui ergo non curantibus ani-
 mam dedit & corpus, qui per Gratiā
 Diuinæ suæ naturæ participes fecit, ac
 bona æterna daturus est, exilia ista, qui-
 bus temporalis vita sustentetur, ac te-
 gatur corpus, negaturus non est. Ad-
 iungit exempla, nō hominum sanctorū,
 Moyſis, Eliæ, Ioannis & similium, qui
 de victu non fuerunt solliciti; ne fortē
 causemur, virtutem eorum comuni
 & humana fuisse maiorem: sed coruo-
 rum, liliorum & foeni, quæ cū non se-
 rant, nec metant; non laborent, nec
 neant; à Deo tamen aluntur, imò &
 exornantur vltra, quàm eis necessa-
 rium esset. Quibus exemplis, vt nota-
 uit S. Chrysostomus, etiam ingenuita-
 tem nostram exstimulat, & nos hono-
 ris, qui in libertate nostra est, admonet:

quod

CONSIDERATIO XXVII. 27

quod enim illa habent lege natura, hoc nos
assequi possumus voluntate. Turpe, si non
facimus.

Deinde & aliam rationem adducit.
Dic, quaeso, quid solitudine proficis? ad-
ijciēsne etiam statura tua vel minimum
quid? Haudquaquam: imò attenuabis po-
tius carnem. Solitudo enim arrosio est. Si
igitur adijcere non possis, quod minimum
est, quid de reliquis sollicitus es? Perspi-
cuum enim, quod sicut Deus incrementum
dat, ita & alia dabit. ait Theophylactus.
Et sicut staturā, quam Deus tibi dat,
contentus esse debes; ita sis & ijs, quæ
sua providentia tibi largitur; cum vana
sit omnis anxietas. Ergo nolite quarere,
quid manducetis, aut quid bibatis; & no-
lite in sublime tolli, à solibus, ventis, nu-
bibus, & futurorum euentu suspensi;
hec enim omnia Gentes inquirunt, qua-
rum cogitatio omnis in terra est, nihil
magnum sperantium. Vilis enim spiri-
tūs, ac pusillanimitatis est angi de istis.
Vobis de regno cogitandum est, & quæ
Deo dignum sit dare. Si enim parua

quasiueris à Deo, non illi rem gratam facis, sed potius munificentiam eius debonestas. Sin quasiueris magna, & illa accipies, & cum illis quasi auctarium accipies etiam parua. Theophyl.

Denique Patrem habetis, qui scit vos istis indigere: quomodo ergo non daret, cum etiam complacuerit ei, dare vobis regnum? Sufficiat, illum hoc scire, atque in vnum curemus, vt apud eum in gratia simus. Maiora nobis parantur: ibi cor nostrum sit, non in his, quæ tineis & furibus obnoxia, quæque ad diuina vocatis indigna sunt. Tanti ponderis hæc argumenta fuerunt apud Filium Dei, vt plus etiam inde concluderet, abiectionem non immodicæ tantum, sed etiam omnimodæ curæ. *Vendite, inquit, quæ possidetis, & date eleemosynam.* Quæ dum animis Apostolorum, quos ad perfectionem instituebat, tanquam generosis canibus prædam obijceret, omnino conficere ac perimere voluit degenerem, & planè ethni.

CONSIDERATIO XXVII. 229

ethnicam, pusillanimitatem, non nisi à Fidei defectu obortam.

III. *Audite audientes me, & comedite bonum, & delectabitur in crassitudine anima vestra. Isa. 55.* Misera est sollicitudo temporalium, quæ infinita cogitando, & susque deque omnia versando, nihil proficit, sed augetur ipsa magis in dies, nec egestati medetur. Miseratus hos Dominus ait apud Prophetam; *Quare appenditis argentum non in panibus, & laborem vestrum non in saturitate? Iusti contra absque argento, & absque vlla commutatione ac versuris, vino & lacte abundant, securi Gratiâ Dei, comedunt bonum, & laurè habentur, tanquam filij Regis æterni. Propter hoc hæc dicit Dominus; Ecce serui mei comedent, & vos esurietis: ecce serui mei bibent, & vos sitietis: ecce serui mei letabuntur, & vos confundemini: ecce serui mei laudabunt præ exultatione cordis, & vos clamabitis præ dolore cordis, & præ contritione spiritûs ululabitis, tanquam lupi famelici. Isa. 65.* Neque est, quod obijciant

Lazaros, & satis crebram paupertatem iustorum. Nam primò Lazarus, etsi non epularerur cum diuine, reficiebatur tamen cum Domino suo, qui fatigatus, & famelicus, ac sitibundus apud fontem dicebat; *Ego cibum habeo, quem vos nescitis. Ioan. 4.* Est verò *secura mens, quasi iuge conuiuium. Prou. 15.* Deinde dicitur quidem ibi, *Omnes dies pauperis, mali: adde & noctes, cum dicatur cuidam, Stulte, hac nocte animam tuam repetunt à te: quæ autem parasti, cuius erunt? Luc. 12.* Talis autem pauper, Epulo fuit, non Lazarus. Nam quomodo pauper, cuius est regnum cælorum, & cuius animam deferunt Angeli in sinum patrum, ut suauissimè ibi quiescat? sanè temporalium egenus, cælestium locuples, qui intelligit suam conditionem, ipse mutare non velit. *Quis enim de victu, quis de vestitu, quis de plebeio censu, & vernalis cespitis vilitate suspirat, de regno certus, de dominatione securus? Inuidet sibi ipsi, qui eleuatus ad summa ipse se ad humilia deijcit, ad egena deponit. inquit S. Chry-*

CONSIDERATIO XXVII. 231

S. Chrysologus *serm.* 23. Neque verò
solam spem regni habent iusti, sed re-
gnum ipsum. *Regnum Dei intra vos est,*
ait Christus *Luc.* 17. videlicet Gratia,
præhabenda cuilibet regno: quia præ-
ter copiam spiritualium bonorum,
etiam de terrenis facit securum. Ne-
mo, credo, tam perditè avarus est, quin
omnibus diuitijs suis redimeret gem-
mam, quæ tota vita faceret securum de
inopia. Nam omnibus curis nihil aliud
efficere studet, quàm ne quid aliquan-
do sibi deficiat. Atqui non pecunia, sed
Gratia Dei securitatem hanc affert, nec
patitur quidquam necessariorum deef-
se. Quod deest, necessarium non est: &
si quando pius ex inopia mori videtur,
non caruit necessarijs ad vitam, quàm
diu erat ipsi viuendum: siquæ diutius
fuisset ei vita producenda, necessaria
quoque habiturus fuisset ad viuendum
diutius, si non opiparè, saltem beatè ac
tranquillè: quia cum magno merito
patientiæ, & conscientiæ securitate
omnibus lauitijs anteferenda. Deni-
que

que omnis, qui bibit ex aqua hac felicitatis terrenæ, sitiet iterum: qui autem biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non sitiet in æternum. Gratia sola est aqua illa, quæ sitim terrenorum extinguit. Domine, da mihi hanc aquam, ut non sitiam, neque veniam huc haurire. Ioan. 4.

CONSIDERATIO XXVIII.

Cum Gratia beatitudinem, qualis in hac vita potest, haberi.

1. **Q**UITE beatorum dicunt, ipsi te decipiunt. Isa. 3. Omnia cupiunt esse beata: huc tendit omnis omnium propensio & operatio. In quam autem re, vera hominis beatitudo consistat, plurimum à sapientibus disceptatum est olim, & erratum luculentissime. Sed nec hodie in ea designanda, & sectanda pauciores leuiorésque errores, apparent ex diuersis hominum studijs. Vnusquisque propriam sibi felicitatem animo fingit, ac si veram fortè

re agnouerit, non aptis tamen sæpe vijs
 ad eam contendit; hoc ipso à vera feli-
 citate deflectens, & alia, quàm sit, in re
 illam constituens. Etenim beatitudo
 est summi, quod quisque consequi pos-
 sit, boni secunda possessio: istà lætantur
 & contenta sunt omnia: istam conser-
 uare, perficere, multiplicare nituntur.
 Quòdnam igitur est summum bonum,
 quod homo in hac vita (nam de altera
 iam non loquimur) possit consequi, si
 quod est extra Gratià Dei? Dicunt,
Vita iucunda sibi sufficiens. Sed parùm
 sincera est ea iucunditas, quam gladius
 è tenui filo impendens quouis momen-
 to incidet. Si autem etiam coniuncta
 cum peruersa voluntate, fugienda po-
 tiùs, quàm optanda est; nec proinde
 verè iucunda, quia homini apta non est.
 Deinde quænam hæc vita iucunda?
 1. Non ea, quæ in corporis incremento
 & propagatione consistit: quia hæc vi-
 ta est lignea, & pulchrior in quercubus.
 2. Nec ea, quæ in *voluptate sensuum*:
 quia brutis, ad cultrum natis, eam na-
 tura

cura indulget, ne aliàs conseruationem,
 & propagationem sui, in vsum reip.
 mundanæ, omittant. Sin afferas dele-
 ctationem, quæ in contemplatione rerum
 à sensu doctarum consistit, est ea qui-
 dem humanior, & mentis aliquid ha-
 bet: sed si non tendit ad operationem,
 propter quam Deus eam concessit, non
 immeritò dicetur esse Voluptas bruto-
 rum rationalium: estque voluptati-
 bus brutis absurdior; nam eæ finem
 suum habent; sed ista nobilissimum
 honoris & amoris Diuini semen im-
 probè sine fructu spargit in auras, con-
 tenta sterili tiillatione intelligentiæ,
 manifesta luxuria spiritali. Denique
 omnis voluptatis, etiam castæ & ordi-
 natæ sensus angustus est admodum,
 nec latitudinem habet insignem, quæ
 sufficiat homini. 3. Sicut & illa *Sereni-
 tas animi*, à turbationibus, auersationi-
 bus, & indignitatibus liberi, atque su-
 pra omnes casus positi, quam aliqui
 meditantur, non est sufficiens ad beati-
 tudinem. Quia & supra vires nostras
 con-

CONSIDERATIO XXVIII. 235

constituta videtur, vt obtineri non possit, quantumuis cogitata; vel si obtenta sit, retineri; & sua teneritudine amplitudinem, sua languiditate vigorem non explet mentis humanæ; cui sola conscientia pulchrorum conatuū, licet impeditorum, præbet longè purius ac solidius gaudium. 4. Minus etiā felicitatis habet vita, quæ multis laboribus opes, *famam, honores, gloriam* quærit. Quia totus hic apparatus fallax, fugitiuus, nec noster est; & iucundiùs ferè quæritur, quàm possidetur. 5. Errauit & ille, qui collocauit beatitudinē in *bona constitutione fortunarum, & corporis, cum facultate effectrice & conseruatrice eiusdem*. Nam & ea bona infra hominem, & facultas eorum effectrix, & conseruatrici supra hominem sunt. Si addas *animi bona*, dices aliquid, sed absque Gratia Dei vera animi bona nulla sunt. Etenim vt corporis, ita & animi bonum agnoscitur è sanitate, pulchritudine, robore, vigore. Corpus sanum est, si absque morbo, cum assue-

tudine

tudine rerum: pulchrum, si par laboribus, cum iucunditate aspectus: robustum, si cum viribus magnum & agile: viuudum, si sensum & gustum habeat cibi somnique. Sic animus bene habet, si sanus à vitiosis affectibus, si exornatus vero decore virtutum, si fortis & agilis ad omnia vitæ honestæ munia, si denique sensum habeat honesti solatii & voluptatis internæ. Talem autem facit sola Gratia Dei. Hæc sanat & ornat, hæc robur & lætitiā affert: hæc nihil admixtum habet vanitatis & fallaciæ; nihil malorum moralium; naturalia verò conuertit in bonum: bona autem, quæ congruunt vitæ præsentī, vbertim parit & conseruat; nec ipsa potest auferri nolenti. Quin & in sublimiorem statum nos euehit, ac perficit accessu ad Deum. Hæc denique magis magisque multiplicat ac diffundit seipsam, non tuendi sui necessitate, vt auaritia; sed suæ nobilitate ac fecunditate naturæ, vt lumen. Verbo; nullum bonum est maius, quod in hac vita possit acquiri;

CONSIDERATIO XXVIII. 237

quiri; nullum quod iucundius ac securius possideri. Quicunque igitur alia re beatum te dicunt, popule meus, ipsi te decipiunt. *Beatus populus, cuius Dominus Deus eius.*

II. *Regnum Dei intra vos est. Luc. 17.* Nihil ita desiderant homines, ut regnare; regnandi causâ patiuntur, & faciunt omnia; & omnes aliquid sibi sumunt, aut parant imperij. Nam & servus vult imperitare conseruis, & ancilla maior ancillulis. Qui hominem, cui imperet, non habet, comparat sibi castellum, aut catum. Quos autem provincijs imperare contingit, suspiciunt veluti collocatos in fastigio felicitatis humanæ. Quia reperitur in ea fortuna libertas agendi quidlibet, cum copia rerum omnium, siue ad splendorem, siue ad voluptatem, siue ad bonitatem. Est unde benefacias alijs; ubi explices animi tui desideria, & cogitationes præclaras; quo bene merearis non de præsentibus tantum, sed etiam de posteris; multa egregia instituas in utilitatem

tem

tem publicam, & gloriam Dei; maxima merita congeras in vitam æternam; denique regnare diuinum quid esse videtur. In regno igitur erit summi in hac vita boni possessio. Sed infinita Sapientia, utique optabilem præ omnibus vitam actura in carne, regnum terrenum despexit; & veræ beatitudinis etiam in hac vita compotes factura, docuit orare, ut regnum Dei adueniat. Imò, inquit, si vestrâ felicitatem agnoscitis, *regnum Dei intra vos est*. Non esca & potus, non imperium & libertas agendi quæcunque, *sed iustitia, & pax, & gaudium in Spiritu Sancto. Rom. 14.* Nam in regno terreno plurima esse, quæ iucunditatem diluant, securitatem incidunt, sufficientiæ defint, libertatem impediunt, ostendunt cubilia curarum, negotiorum tumultus; voluntantia periculorum ac suspicionum, ceu vespertilionum, examina; successus fallaces; impedimenta conatuum, orta vnde minimè debuerunt; malignitas redidita pro beneficijs, consilia malefida;

III.

CONSIDERATIO XXVIII. 239

nunquam suum esse; nihil ex genio, sed
omnia facere ex persona; aucupia nu-
tuum & interpretationes malignæ; tæ-
dia rerum, animi languor, appetitus in-
côditi, pericula vera salutis æternæ.
Vt meritò censeas regnum terrenum
potius miseriarum, quàm bonorum
congeriem, ac beatitudinem esse. Sed
regnum Gratia*e* Iustitia est, qua mens
tam in seipsa, quàm erga Deum & ho-
mines rectè se habet. Ex quo prouenit
Pax diuina prorsus, *qua exuperat omnem*
sensum. Philip. 4. & continet copiam
omnium desiderabilium. Ex pace Gau-
dium in Spiritu Sancto, cui omnia gaudia
mundi conferri non possunt. Sunt hæc
initia felicitatis æternæ, crescuntque
donec in eam vertantur: vbi consum-
mata erit iustitia, Pax immensa, Gau-
dium infinitum. Sed absque Gratia sunt
omnia contraria inter bona quæcun-
que. Domine Deus, amorem tui solum,
cum Gratia tua mihi dones, & diues sum
satis. nec aliud quidquam ultra posco.
orabat S. P. Ignatius.

III. Beati

III. *Beati estis, cum maledixerint vobis homines. Matth. 5.* Quia suos inter aduersa Dominus dicit beatos, non solum fore, sed iam esse; discimus non ita de huius vite beatitudine sentiendum esse, sicut de æternæ. Nam in hac verum est dictum S. Ambrosij 2. Offic. 6. *Non in passione* (addo ego, nec sine passione & ærumna) *esse, sed victorem esse passionis, nec frangi temporalis metu doloris, beatum est.* Et quomodo beatum? quia hæc vita militia est; militiæ finis, adeoque summum bonum, victoria. E victoria verò nascitur animi libertas, principatus, tranquillitas & lætitia; cum rerum terrenarum generoso, qualis est beatorum spirituum; non fastuoso & mendaci, qualis est stoicorum, contemptu; quo mens expeditur sensuum clatris, & in debitam sibi magnitudinem aucta, supra omne corporeum & mutabile, diuinorum fit compos; in altitudine sapientia, suauitate conscientia, ac sublimitate virtutis.

Hæc

CONSIDERATIO XXVIII. 241

Hæc autem Victoria solius est Gratiæ, cuius interim hic primus est quæstus, *Pietas cum sufficientia* quadam animi, ac deliberatione regni cælorum, nihil extra illud petentis. Tum pax & tranquillitas interna virium animæ: consolatio & voluptas cælestis; exauditiō petitionum prompta & facilis, cum expletione copiosa desideriorum sanctorum; plurimi fauores à Deo & beatis; clarior Dei se amantis cognitio, & tantum non apertus intuitus in omnibus rebus, & euentis; protectio singularis, qua manifestum fiat omnibus, eum tractari vt charissimum filium; denique pignus spiritus, quo redditur securus de non amittenda, sed implenda sibi hac felicitate in cælo. An non ista sunt inchoatio quædam vitæ æternæ, &, vt S. Ambrosius loquitur, quasi reparatæ quædam liba naturæ, verissimæque beatitudo viæ, qua maior esse non potest, donec in altera, Summo Bono perfectè vnitus, homo consequatur per Gratiā, quidquid Deus habet

M

per

per naturam, similis ei factus per omnia? Eia Domine Iesv, da nobis hic tuos pariter, & nostros hostes vincere cum Gratia tua, vt in æternum tecum gaudeamus in gloria.

CONSIDERATIO XXIX.

*Gratiam esse participationem
Naturæ Diuinæ.*

Vidimus effectus Gratiæ in hac vita: qui sint in altera, in cor hominis mortalis nondum ascendit, nec licet hominibz loqui. Quid ergo rei tandem est Gratia, quæ tam admirabilia facit?

I. **M**axima & pretiosa nobis promissa donauit, vt per hac efficiamini Diuinæ consortes Naturæ. 2. Pet.

1. SS. Patres ac Theologi locum istum de Gratia Dei accipiunt, quæ, ipsorum iudicio, nos luce supernaturali illustratos, effert supra proprios terminos naturæ, & deificatos collocat in ordine, ac statu Diuino. Maxima res est hæc. Omnes naturæ suum gradum, & locum habent

CONSIDERATIO XXIX. 243

habent in ordine rerum: aliæ simplicem, aliæ compositum; aliæ viuentium, sentientium, rationalium; aliæ nobiliorum gradum spirituum nactæ. Horum rursus alij alijs excelsiorem, admirabili multitudine. At supra hos omnes Gratia collocat hominem; neque supra hos tantum; nam supra Seraphinos innumeri alij possunt infinita gradatione constitui. Etiam supra hos collocat Gratia: imò suprâ infinitam, quæ inter quoscunq; conditos animo fixeris, & inter Deum est, intercapedinem. Quia ipsam Diuinitatem largitur, & in ipsius diuinitatis fastigio collocat: ita, vt homo per Gratiâ longè plus emineat supra naturam Seraphicâ, quàm supremi Seraphim supra paleâ vnam, aut filicem. Quòd si ergo, inter omnes Angelos & homines, vnica tantum anima foret, quam Deus tam inopinato fauore prosequeretur, vt infunderet ei Gratiâ suâ, quantopere Maiestatē eius animæ contremisceret tota rerum natura? quantum se illi submitterent omnes Angelicæ

mentes? quantâ veneratione prosequerentur omnes Throni, Dominationes ac Potestates cælestes, utpote quam naturâ suâ tanto altiores viderent? Quoniam igitur, obsecro, modo fit, ut tam parui faciamus immensam hanc dignitatem? Non enim ideo minus est beneficium, quod in plures confertur. Ut humanis titulis potiantur ambitiosi, nulli parcent labori, nec sumptui: ut in ordinem diuinum promoueantur per Gratiam, nihil impendunt. Si à Rege excludantur secreto consilio, ignominia impatientes tabescunt mœrore; at excidisse Gratia Dei pro nihilo reputant. Regem attingere cognatione longinqua, gloriosissimum ducunt, consortium Naturæ Diuinæ pro ornamento non habent. Proferri ab aliquo maculam suæ familiæ, est eis acerbissimum; quomodo ergo non ipsa morte acerbius est, inquinari peccato, perditâ Gratiâ? quo fascino tenemur, ut non curemus pro vilissima oblectatione tanto bono priuari?

II. Si.

II. *Signati estis spiritu promissionis sancto. Ephes. 1.* Terrenæ dignitates meliorem non faciunt, & magis in hominum opinione, quàm in vera excellentia vel qualitate consistunt. Hominis ad statum diuinum promotio, diuinum facit non aestimari modò, sed etiam esse. *Id enim, quod substantialiter est in Deo, accidentaliter fit in anima participante diuinam bonitatem,* ait S. Thomas 1. 2. q. 110. a. 2. ad 2. quod triplici potissimum similitudine SS. Patres declarant.

1. *Sigilli,* quod totam suam figuram relinquit in cera. *Ut quomodo primus homo conditus est ad imaginem & similitudinem Dei. Sic in secunda regeneratione, quicumque Spiritum Sanctum fuerit consecutus, obsignetur ab eo, & figuram Conditoris accipiat.* inquit S. Hieronymus. Neque id quocunque modo, sed ita ut Deus fiat. *Ego enim aestimo,* ait idem Sanctus, *quia sicut Spiritus Sanctus, sanctum facit eum, cui fuerit infusus, & Spiritus Sapientie sapientem &c. ita & Spiritus repromissionis, vel Spiritus Dei,*

Sponsorem & Deum faciat eum, in quo habitauerit, Quomodo è contrario spiritus immundus immundum facit, & demoniacus demones. 2. Pretiosi unguenti aut liquoris, qui suam testæ qualitatem fragrantiae, ac suauitatis relinquit. Unguentum, inquit S. Athanasius ad Serap. fragrantiam & balitum inunctoris habet, quo cum inuncti fuerint, & participes redditi, dicunt de se, Christi bonus odor sumus. Et verò ipsa substantia unguenti penetrat eum, qui ungitur, eiusque spiritum alit, roborat, instaurat, & conseruat spiritu suo: sicut Democritus triduo panum calidorum odoribus in vita seruatus est. Ut intelligas hominem per Gratiā, non odore tantum, sed etiam substantia diuina donari, & penitus ipsi coniungi. 3. Similitudo est ferri igniti, quod cum per se terrestre, nigrum, obscurum, informe, frigidum esset, ac sine operatione, positum in igne ita penitus accepit eius naturam, ut videatur mutatum in ipsam, non minus candens, molle, & actuosum, quam ignis.

CONSIDERATIO XXIX. 247

ignis. Longè admirabilior est mutatio animæ; quæ cùm tota esset frigida, informis, terrena, vilis & iners, acceptâ Gratiâ Dei, non igneam Seraphini, vel alterius rei creatæ naturam consequitur, sed ipsius Dei. Et vt ferrum ignitum omni sua parte continet ignem, sic ipsa in se diuinum quendam splendorem, generositatem & energiam. Si quis posset consequi intellectum, & sapientiam, vel celeritatem ac potentiam infimi Angeli; imò si velocitatem capræ, robur leonis, longæuitatem corui, ac visum aquilæ, non sanè negligeret: sed proprietates Diuinas adipiscendi occasiones infinitas contemnimus. O intolerabile probrum! brutorum excellentias affectamus, diuinam despiciamus, imò & abiicimus. O sensus, ô phantasia, quomodo rationem nostram excæcas? quomodo Fidem Diuinam obnubilas? quibus præstigijs nos à veris bonis abducis? si cui daretur potestas eligendi sibi quascunque vellet proprietates rerum, quæ sunt in

M 4

cælo,

cælo, & in terra, non utique ultimas & vilissimas optaret sibi, sed Angelicas, cælestes & pulcherrimas quasque: cum Diuinarum compotes fieri possumus, oscitamus, & turpius, quàm Sampson, ut satis faciamus fædæ cupiditati, abiectâ Gratiâ Dei, cæci molimus in carcere.

III. *Quid est homo, quia magnificas eum? Iob. 7.* Si sapientes antiquos interrogemus, hominem secundum naturam consideratum dicunt esse magnum miraculum, horizontem & mensuram omnium rerum, opificium quod esse possit pulcherrimum, animal diuinum & honorandum, neque componendum brutis terrenis, sed dijs cælestibus; quòd transeat in naturam Dei, ut rectè dici possit homo, Deus mortalis; & Deus, Homo immortalis. Hæc isti non absimiliter Diuino Prophetæ, qui & ipse miratur hominem in sua natura, Angelis non multo sanè minorem, coronatum gloria & honore similitudinis Diuinæ in libertate arbitrij,

CONSIDERATIO XXIX. 249

trij, denique constitutum super opera
manuum Dei, & omnia subiecta pedi-
bus eius. Quid ergo dicerent, si nouis-
sent eum, per Gratiam Angelis multo
maiores, ac verè translatus in natu-
ram Dei, qui iam ipsemet homini dis-
cumbenti ministret? Quid ni ergo
spernamus alia omnia, & in ordinem
Diuinum euecti mittamus crepundia?
*Cum essem paruulus, loquebar ut paruu-
lus, sapiebam ut paruulus, cogitabam ut
paruulus: quando autem factus sum vir,
euacuaui que erant paruuli. 1. Cor. 13.*
Hæc facit omnis, qui ex pueritia ad vi-
rilem ætatem peruënit: nos non pueri-
tiam solùm, sed etiam humanam con-
ditionem egressi, longèque transgressi
quidquid creaturarum est, & esse po-
test, adhuc loquimur, sapimus, cogita-
mus terrena; gaudemus crepitaculis
honorum, diuitiarum, voluptatum;
aliud quidquam admittimus in ani-
mum, quàm quod diuinum sit? *Tanta
munificencia Conditoris digni habui: tanto
cohonefati honore, tanta denique benigni-*

tate affecti, ne, quæso, dedecore ullo aspergamus eum, qui tantis nos beneficijs cumulauit; & tantam hanc gratiam, gratuito nobis indultam, sinamus in cassum defluere. Angelicam vitam re ipsa demonstremus. Angelicam virtutem opere ipso & conuersatione exeramus. Etenim obsecro, oroque supplex, ut ne ad iudicium, nè in damnationis nostra cumulum contingat nobis hæc prerogata fuisse: magis verò ut cedant illorum fruitionem bonorum, quæ benignitate Domini omnes nos aliquando assequi promereamur. ait S. Chrysostomus hom. 1. ad Epbes.

CONSIDERATIO XXX.

De prima participatione Naturæ Diuinæ per Gratiam.

- I. **G** Ratiâ Dei sum id, quod sum. 1. Cor. 15. Sicut Sol quædam actu continet, ut lucem, candorem ac venustatem, cuius aspectu recreat omnia; quædam potestate, quæ facit in terra, ut metalla & gemmas: ita

CONSIDERATIO XXX. 25F

ita in Natura Diuina quædam sunt
actu & formaliter, vt in scholis loquun-
tur; quædam potestate solùm & vir-
tualiter. Gratia particeps est eius, non
vt gemma Solis, cuius virtute produci-
tur; sed vt lux, quæ forma quædam est
Solis; ac proinde imitatur ipsam for-
mam Dei varijs modis. Quænam hæc
forma? *Ego sum, qui sum.* dicebat Exo-
di 3. Sic dices filijs Israël; *qui est, misit
me.* Non poterat appellari digniore
vocabulo, quàm isto, *Qui est.* videlicet,
à seipso, nunc, & semper, æternus, &
immutabilis, infinitus & incompre-
hensibilis, solus continens omne esse;
cui comparata alia omnia non sunt:
non terra, non cælum, non corpora,
non spiritus. *Substantia mea, tanquam
nihilum, ante te: veruntamen vniuersa
vanitas, omnis homo viuens.* Confessio
est potentissimi regis in Psal. 38. *Omnes
gentes, quasi non sint, sic sunt coram eo, &
quasi nihilum reputatae sunt ei.* Isa. 40.
Denique vniuersa plenitudo essendi est
Deus. *In hoc vno verbo, scilicet esse, in-*

M 6

stan-

staurantur omnia: ideò idem est Deo Esse, quàm Omnia Esse. Vnde si hac dixeris, esse bonum, iustum, nihil addidisti; si non dixeris, nihil diminuisti, ait S. Bernardus l. 5. de confid. c. 7. Imitatur hoc Gratia Dei. Sic enim ait Apostolus, Gratia Dei sum id, quod sum, quasi dicat; Quòd aliquid sum, Gratiâ sum, extra quam nihil sum. Et esse tamen aliquid videbatur Apostolus: gloriari poterat origine, sapientiâ, rebus gestis, præ alijs multis: at ipse reputat hæc omnia pro nihilo; totum esse suum in Gratia collocat; alterius esse rationem non habet. Peccatores contrà, erunt, quasi non sint. vt ait Abdias. Qui enim perit, secundùm regulam scripturarum, dicitur non esse. vt ibi notat S. Hieronymus. Ne tradas, Domine, sceptrum tuum his, qui non sunt; orabat Esther c. 14. cùm loqueretur de aduersarijs potentissimis, sed impijs. Similiter ad eos, qui, cetera instructissimi ad nuptias regias, carebant oleo Gratiae, dicit in Euangelio, Nescio vos. quasi non sint: nihil enim ignorat eorum, quæ sunt.

CONSIDERATIO XXX. 253

sunt. *Non sunt, qui repudiantur à Christo.* ait S. Ambrosius in *Psal.* 43. Denique fideles *Ephes.* 2. dicuntur *creati in Christo IESV.* Creari est fieri è nihilo. atqui, vt S. Thomas 1. 2. q. 110. a. 2. ad 3. docuit, *homines per Gratiam in nouo esse constituuntur ex nihilo.* Sanè, miserum esse, perinde est, ac nihil esse. Imò deterius. Vnde Saluator de quodam; *Bonum erat ei, si natus non fuisset.* *Matth.* 26. Si ergo nihil sunt, id est, non computantur alia omnia, vtique nec diuitiæ, voluptates, honores aliquid erunt. Similiter nec inopia, probra, labores, dolores tolerati pro Christo. Quid igitur ista curamus? Gratia Dei sola verè est; peccatores Deus in S. Scriptura paleas, foenum, stipulas, puluerem nominat, & habet vt abominanda cadauera, & sterco ter-
ræ. Et hæc tamen omnia nondum satis exprimunt vilitatem, ac nihil eorum. Gratia sola à Deo æstimatur aliquid esse: nec falli potest eius iudicium. *Quidquid autem aliud petitur, nihil petitur: non quia nulla omnino res est;*

M 7

sed

sed quia, tantæ rei comparatione, quidquid aliud concupiscitur, nihil est. ait S. Augustinus tract. 102. in Ioannem.

II. *In laudem gloria Gratiæ suæ. Ephes. 1.* Ne cogites tantum nudum quoddam Esse tribui Gratiæ, sicut in rerum natura lapides habent, ac terra; præclarum, & omni perfectione plenum est Esse Gratiæ, ad imitationem Diuini. Quod Scriptura duobus nominibus indicat, 1. *Gloria*: quod sæpe tribuitur Gratiæ. *Rom. 3. & 2. Cor. 1.* Significat verò Gloriæ nomen in Scriptura totum Esse. Sic Filius Dei dicitur *Hebr. 1. Splendor gloriæ, & figura substantiæ Dei.* Iudith vocatur *Gloria Ierusalem*, id est, totum, quo gloriari possit Ierusalem. Et Iob c. 19. cum lamentaretur se omnibus rebus esse priuatum, dixit; *Spoliauit me gloriâ meâ.* Et apud homines, Gloria est de præclarissimis rebus cumulata fama, cum laude cultuque. Verè autem præclarissimum, imò totum & infinitum Esse suo modo continet Gratia: nam & omnes naturas creatas

CONSIDERATIO XXX. 255

creatas longè superat, & ipsa sola ex-
plere potest infinitam cupiditatem &
capacitatem mentis humanæ, sine qua
nihil ei sufficit. 2. Nomen est *Regni Dei*,
quod dicitur esse in nobis, & ante o-
mnia quærere iubemur. Et cùm dicitur
Colos. 1. Transtulit nos in regnum Filij di-
lectionis suæ. Concilium Trid. sess. 6. c. 3.
intelligit de translatione peccatoris in
Gratiã. In regno cogitatur eminentia
quædam, & copia seu plenitudo bono-
rum omniũ. Ita Deus regnat per suum
Esse, quod continet omne Esse, omnem
perfectionẽ, vitam, bonitatem, pulchri-
tudinem & Maiestatem, quam laudant
Angeli & Archangeli, adorant Domi-
nationes, tremunt Potestates: Cheru-
bim quoque, ac Seraphim magna cum
admiratione & reuerentia intuentur
abyssum Essentiæ, è qua cùm vniver-
sus hic apparatus rerum tantarum, ac
tam pulchrarum, admirabili sapientia
& vbertate, solo verbo prodierit, idẽ-
que tribus digitis regatur, ac sustente-
tur; & si fiant præterea mille millia
maio-

256 DE PRÆST. GRAT. DEI

maiorum & meliorum mundorum, tamen id omne plus non esset, respectu eorum; quæ continentur in illa, quàm gutta roris antelucani. Simili ratione omnia naturalia, quæ sunt, & fieri possunt, excedit Gratia Dei, in eodem ordine constituta cum Deo. Nam & eius respectu omnia nihil sunt, & per illam habent, ut sint: quia Gratiæ causâ sunt omnia, & omnium bonitates altiore modo continentur in ipsa. *Timor Dei super omnia se superposuit, Eccl. 25.* quanto magis Gratia, quæ Timorem, & alia multa præter eum complectitur?

III. *Omnis qui natus est ex Deo, peccatum non facit: quoniam semen ipsius in eo manet. 1. Jo. 3.* Hoc semen Dei est Gratia. Sicut semen est aliquid fructus, quod in sua virtute totum fructum & arborem continet, è qua provenit fructus: ita Gratia aliquid Dei est, ac suo modo (quo creatura potest) continet omnia, quæ in Deo sunt. Prodeant ergo, qui ore pando bibunt ventum honoris, & existimationis humanæ; qui
diui-

diuitiarum fauillas & fumos atros è fornace prouolutos captant; qui inhiant vaporibus tetrae voluptatum paludis; & cum improuido Esau pro nihilo reputant, quòd pro his amittant primogenita Gratiae Dei. Dicant, quòd sit illud pulmentum, quæ coctio illa rufa, quam sic appetunt, vt emant tam carò.

Ostendant, obsecro, quid vsquam sit, quod minus habeat rei & essentiae. Existimationis nulla est natura: tota in-opinione, & opus imaginationis; tamque parùm habet consistentiae, vt faciliùs euanescat, quàm bulla. Et nullum tamen idolum est in mundo, cui faciant tot placentas; nullus Moloch, cum quo plures abominationes exercent. Honorem verum, qui est in Gratia Dei, & à nullo potest violari, flocci pendentes. Diuitiae paulo plus habent substantiae; præcipuum tamen valorem accipiunt ab hominum aestimatione: vt adeò nec ipsæ sint, quod sunt, sed quod existimantur. Consistentia verò, quam habent, est eiusmodi, vt prodesse
non

non possint, nisi perdantur. Numus enim habenti non prodest, sed expendenti: quo fit, ut amittatur perinde, ac si euauisset. Non ita Gratia Dei, cuius inæstimabile pretium totum in ipsa est, nec amissa prodest, sed acquisita fructificat, seque ipsamet auget, & omnia bona secum adducit. Denique Voluptas, quidquid est, commune cum brutis, & rationali naturâ indignum est: quid erit comparata cum Gratia? Curatissima sane est eius fruitio, parûmque sincera ac viuida. Nascitur & sepelitur in sensu; non transit ad mentem: ac dum sentitur, disparet. Adeo vile ac modicum est Esse illius: quod magis etiam imminuit pœnæ ac doloris mixtura. Quod mihi gutta mellis cum congio fellis? Quod autem in ea dulcedinis est, labra summa delinit, ac spiritus habitantes in primoribus nervis: quod acerbitalis, penetrat fundum cordis, & animam secat. Insani, ut breui transitu mulceant gulam, diros calculi & podagræ cultros deglutiunt. *In illis appetitus placet.*

CONSIDERATIO XXXI. 259

placet, experientia displicet. ait S. Gregorius hom. 36. in Euang. Quanto limpidior & melior gustus est Gratiae? quanto plus honestatis in eo & constantiae? Denique Gratia semen Dei est, in quo summa voluptas, abundantia, dignitas est: ut omnia, quae bona sunt, ipsi inesse dicantur, & omnia rursum negari; quia omnia multum excedit, in modum infinitae Essentiae Dei.

CONSIDERATIO XXXI.

De secunda participatione Naturae Diuinae per Gratiam.

I. **G**loriae pondus operatur in nobis. 2. Cor. 4. S. Diadochus cap. 21. per pondus gloriae charitatem, indiuiduam Gratiae comitem, intelligit, quae per aduersa supra modum nobis augetur in hac vita: de qua sanè ibi loquitur Apostolus, cum dicit; *Licet is, qui foris est, noster homo corrumpatur; tamen is, qui intus est, renouatur de die in diem: quod quomodo fiat, declarat; quia*

quia scilicet momentanea, & leuis, tribulatio nostra, ingens gloriæ pondus in nobis efficiat. In altera vita nec tribulatio, nec renouatio quotidiana est, sed in ista semper augetur nobis Gratia: quæ rectè dicitur Pondus gloriæ; quia est eius naturæ, vt æquiponderet gloriæ æternæ, quæ vtcunque omnem intellectum humanum excedat, connaturaliter tamen debetur Gratiæ quantumuis exiguæ. Quæcunque bona attuleris absque Gratia, dicetur tibi, quod regi Balthasari, *Appensus es in statera. & inuentus es minus habens*, quia nihil in te æquiualeat Gloriæ. Sed quæcunque feceris mala, vt ipso Antichristo grauiora designes, tamen gloria æterna tibi debetur, si acquisiueris vnicum granum, aut micam Gratiæ.

Admiranda res prorsus. Sed Gratia in hoc imitatur Essentiam Dei: quæ est in tam eminenti gradu, vt naturaliter debeatur ei beatitudo, & clara visio Dei. Ad eundem ordinem eleuata est Gratia, vt & ipsa sit radix, & connatu-
rale

CONSIDERATIO XXXI. 261

rale principium eiusdem beatitudinis,
Et hæc pro magnitudine eius adme-
tienda, & appendenda est nobis. Indi-
cat hoc etiam dilectionis Apostolus,
I. Ioan. 3. cùm ait; *Charissimi, nunc sumus*
filij Dei. Quamuis enim adoptiui, ta-
men eiusdem naturæ: nemo enim spe-
ciem alienam, ouem aut equum, ado-
ptat. Et licet nondum appareat, quid
simus futuri; tamen *scimus, quoniam*
cùm apparuerit, similes ei erimus. Et
quomodo similes? effectus ostendet;
quoniam videbimus eum, sicuti est. Hic
erit effectus filiationis nostræ, hic pro-
prius fructus Gratiae, in hoc imitantis
Naturam Dei, vt eandem beatitudinem
habeat, qua Deus ipse beatus est: quid-
quid aliud assignaueris, impar & leuius
est. O admirabile Dei consortium!
nullus regum adhibet suæ mensæ, nisi
vel regij sanguinis, vel dignitatis à re-
ge secundæ. Idem Deus obseruat. Dis-
posuit nobis Vnigenitus, sicut & Pater
disposuit ipsi, regnum, vt edamus & bi-
bamus

bamus super mensam eius in regno suo. *Luc. 22.* quia per Gratiā cognatos, & confortes naturę suę nos fecit. Nam vñque adeò Diuina res est Gratiā, vt Deo sit proxima, ac si non foret cōmunicata, sed substantialis, verè esset ipsemet Deus, vt graues Theologi docent. Sicut enim Deus est Gratiā substantialis & increata, sic Gratiā & Deitas cōmunicata, seu communicatio Deitatis.

II. *Beatus vir, qui non abiit in consilio impiorum. Psal. 1.* Quid plus potest homini donari, ait S. Ambrosius, quàm quo nihil amplius potuit Deo Apostolica auctoritate deferri? Donauit enim appellatiōnis eius consortiū, quæ digna estimata est honore Diuino. Nam vt Potens diceretur Deus, vt Rex & Dominus, visum est impar eius Maiestatī, nisi aliquid adderet. Dixit ergo, *Solus potens, Rex regum, & Dominus dominantium, qui solus habet immortalitatem. 1. Tim. 4.* Beatum dixit sine addito, quia absolutè positum hoc nomen Deo dignum sit. Et hoc ipsum tamen *Beati* nomen absolutè etiam tribuitur

CONSIDERATIO XXXI. 263

buitur iusto adhuc degenti in terris, propter Gratiā, cuius beatitudo est propria. Sicut meritò Rex vocatur, cuius est regnum certo ac proprio iure, licet nondum possideat.

Si ergo ius hoc tanti æstimatur, ut ob id homini tribuatur admirabile nomen, proprium soli Deo; quare nos ita vilipendimus? Literas, quibus aliquis census, vel dignitas nostra probatur, omni cura seruamus: Propter ius regni terreni bella mouentur, vastantur prouinciæ, sanguis effunditur: pro iure beatitudinis conseruando, vel acquirendo, nihil mouemus! Membrum corporis, imò & vitam perdere malles, quàm ius regni terreni. Cur itaque non oculos potius, & cor tibi erui sinis, quàm in amissionem Gratiæ, & beatitudinis æternæ consentias? Imò pro vilissima re, vanissimo respectu, breuissima oblectatione, vltro, tanto iuri renuntias. O extrema infania! Possum, inquis, recuperare continuò. Quibus id viribus potes? certùmne tibi est, eas indul-

indultum iri à Deo? Promptum se offert, inquis, ad recipiendum peccatorem, quacunque hora ingemuerit. At innumeris non datur hic tam efficax & penetrabilis gemitus; quid si nec tibi, qui ita sciens prudens in exitium ruis? Quis ita insanit, ut cum iactura vnius regni defiliat in puteum, è quo scit se extrahi non posse, nisi ab eo, cum quo exercet capitales inimicitias? Deum offendis, cum insilis in peccatum, in puteum interitûs, & ab eo, præter Deum, te nemo potest educere: an sit facturus, incertum; tu certè beneficio illo immenso indignus es. Sed sit sanè ita misericors, ut indignum te liberet, potésne pati hanc ignominiam, ut de te dici possit, quòd vnquam fueris in tam prodigiosa dementia? Quis pudor, apparere talem coram Angelis Dei? Nemo euectus ad amplissimum regnum, in gratiam famuli sui vel ad horam se abdicat regno, positóque sceptro, & paludamento regio, nudus, collutulatus, & cornibus onustus incedit
per

CONSIDERATIO XXXI. 265

per plateas vr̄bis, inspiciente curia sua,
& omni populo; quamuis certus sit se
in regno suo restituendum, sicut Na-
buchodonosor, *Dan. 4.* Certè hic non
sua voluntate elegit regno abire, & ha-
bitare, pascique cum bestiis. Et tu ta-
men, longè ampliore sceptro contem-
pto, ad abominabiliorem conditionem
peccando te abijcis. Denique nego-
tium beatitudinis æternæ exponere
tam certæ iacturæ, tàmque incertæ, &
in aliena voluntate positæ recupera-
tioni, dementissimum est. Sapientissi-
mum verò, quod monet Apostolus
2. Pet. 1. *Quapropter magis satagite, fra-*
tres, ut per bona opera certam vestram vo-
cationem, & electionem faciatis: ut ius
regni cælestis, quantum potest, in secu-
ro ponatur.

III. Si ergo inuēni gratiam in conspe-
ctu tuo, ostende mihi faciem tuam. *Exod.*
33. Consequens est, ut faciem ei suam
Deus ostendat, qui apud eum inuene-
rit gratiam. Ita duplex in eius acquisi-
tione bonum est, duplex damnum in
N amif.

amissione : primum in præfenti, ipsius nobilissimæ qualitatis ; alterum in futuro, Visionis Diuinæ, per quam Deo similes erimus. Nam vt per Gratiā similes ei sumus in Natura ; sic per gloriam claræ Visionis erimus ei similes in beatitudine. 1. Quia eandem beatitudinem sumus habituri. 2. Quia fruēmur ijsdem bonis ; infinita charitate, bonitate, pulchritudine, suauitate, dulcedine, sapientia, nobilitate, iustitia, potentia, maiestate : quæ etsi, vt ita dicam, sint ei propria dominio, possessione tamen, vsu fructūque nobis erunt cum ipso communia. Qui insignis prædij plenum vsum fructum habet, parum laborat de nudo dominio : quare si cui Deus dare posset nudum dominium bonorum suorum inæstimabilem, sine fructu, & iure fruendi, illius conditio non esset tam expetenda, quàm est hominis iusti, qui per Gratiā ius habet bonis illis fruendi. 3. Similes erimus Deo in ipsa fruitione bonorum. Nam vt Sanctus Thomas ait

opusc.

CONSIDERATIO XXXI. 267

opuscul. de beatitud. Deus summè perfectus est in beatitudine, quia omne bonum habet in se, vt nec extra se quærere oporteat, nec ab alio quidquam possit auferri, turbari, mutari. Ita & anima bonis Dei fruitur sine defectu, perturbatione, mutatione, éstque vt S. Doctor loquitur, semper in eodem fertiore beatitudinis. O diuinum Gratiaë fructum! ô ius, Dei bonis vtendi, fruendi! propter hoc solum omnibus rebus anteponenda esset Gratia, etiamsi in seipsa non tam nobilis esset. Lapillos, radículas, vermiculos, in se vilis naturæ, magni facimus propter nescio quas virtutes, eis adiunctas: Gratiam, cui tantum ius annexum est, minimi facimus. Beatitudinem appetimus omnes, cur non & Gratiam, vnicam eius radicem? De illa optamus esse securi, cur non Gratiam omni modo seruamus, & augemus, quæ sola securos nos reddit? Cum priuilegium accepimus à Principe, allaboramus, vt confirmetur nobis à Successore. Ius regni caelestis accepimus

mus in Gratia, confirmatur id nobis quolibet opere bono: parum rectè sapiamus, si negligimus. Sanctissimus quisque magis est sollicitus de Gratia, quàm de beatitudine: & gloriosius est mereri, quàm accipere præmiũ. Mira cœcitas nostra, qua res tantas tam parui ducimus. Ipsi perdit spiritus multo aliter sentiunt: quorũ vnus *apud Cantiprat. l. 2. c. 47. n. 67.* professus est, se omnium damnatorũ poenas, vsq; ad mundi finem subeundas, si in se vnum congerantur, pro magna felicitate habiturum, si spes adderetur postea, breuissimo tempore, videndi faciem Dei. Alius *apud Casarium l. 5. c. 10.* dixit, si corpus haberet, essetque columna è ferro candenti, per quam gradatim posset venire in cælum, non destitutum se per illam eniti, quantumvis acuti cultri essent pro gradibus, & quoties euassisset ad summa, toties iterum deturbaretur in terram; eaque conuulseratio corporis, & miseranda eluctatio duraret vsque ad mundi finem; se non destitutum, dummodo spem, etsi non certam, haberet perueniendi

CONSIDERATIO XXXII. 269

niendi tandem eò, vnde exciderat. Ex-
cidit autem non è beatitudine, sed
è statu Gratia. Tanti ergo nunc facit
bonum, quod perdidit. Nónne diabo-
lo ipso deterior est homo, qui maiore
certitudine, Gratia obtinendæ per Sa-
cramenta, nihil vult subire molestia?
Deus hanc à nobis cæcitatem auertat.

CONSIDERATIO XXXII.

*De tertia participatione Diuinæ
Naturæ per Gratiam.*

I. **S**ancti estote, quia ego sanctus sum.
Leuit. 11. Inter Naturæ Diuinæ
perfectiones eminere videtur
Sanctitas, quæ essentialiter omni pec-
cato repugnat magis, quàm calor fri-
gori, & omnes virtutes includit, vt fa-
ciat omnia sanctè. Imitatur hanc Gra-
tia, quæ & ipsa suapte natura aduersa-
tur peccato, & radix est omnis virtutis
ac bonitatis. Estque hæc præcipua laus
Gratia. Nam etsi permultum fit, in es-
sentia superare omnem naturam crea-

N 3

tam,

ram, & creabilem; multum etiam, esse causam & radicem beatitudinis supernaturalis; plus tamen est, in essentia sua participare Sanctitatem Diuinam, qua Deus ipse, inter infinitas perfectiones, nihil habet illustrius. Etenim ille omnes forent minores, si sanctæ non essent. Sed quia ipsa Dei natura est Sanctitas, Omnipotentia est Sanctitas, Sapientia Sanctitas; omnia consecrat, omnibus venerationem dat Sanctitas. Sicut in donis creatis, quantacunque sint, absque Sanctitate magnificiendi non sunt: non sapientia, non potentia, non alia quæcunque: ita in Deo, cum omnia sint infinita, maior tamen ac superior aliquo modo est Sanctitas; quia cuncta transcendit, & eleuat.

Hinc est, quod Seraphici Spiritus, omnium quæ sunt, creaturarum nobilissimi, & diuinarum perfectionum intelligentissimi, dimissis alijs, apud *Isaiam* c. 6. & *Apoc.* c. 4. solam Sanctitatem admirabundi ac venerabundi collaudant, & sine vlla requie dies ac noctes, San-
ctus,

CONSIDERATIO XXXII. 271

Elus, Sanctus, Sanctus ingeminant. Videbant Maieſtatem ac ſummum Imperium Dei expreſſum in Throno ſublimi, Immutabilitatem in lapidibus pretioſis, Æternitatem in Iride circa Thronum fulgente, Sapientiam in viginti quatuor Senioribus, Prouidentiam in ſeptem Lampadibus, in Fulguribus ac Tonitribus Omnipotentiam, Immenſitatem in Mari vitreo, Infinitudinem in velato capite ac pedibus: ſed inter hæc omnia, prorsus admirabilia, cùm ſint oculatiſſimi, ſola Sanctitas eos percellit, ſolam Sanctitatem ſine ceſſatione decantant. Hanc præcipuam Dei perfectionem participat Gratia; quia ipſa quoque eſſentialiter eſt Sanctitas, & non facultates modò, ſed ipſam ſubſtantiam animæ ſanctificat penitus. O igitur Sanctum, Sanctum, Sanctum donum Gratiæ. Hinc eſt, quòd Angeli, ac Deus ipſe ſic veneratur animas Gratiâ præditas, & *diſponit magna cum reuerentia. Sap. 12.* ſuæ in illis Sanctitatis imitationem aſpiciens.

N 4

II. Do-

II. *Domum tuam decet Sanctitudo.*
Psal. 92. Multa præclara in domo Dei
 consideravit Regius Vates hoc Psalmo,
 Pulchritudinem, Omnipotentiam, Im-
 perium, Immutabilitatem, Æternita-
 tem, Infinitudinem, Fidelitatem: sed
 quid inter omnia maximè sibi placue-
 rit, profitetur in fine; *Domum tuam,*
inquit, Sanctitudo maximè ornat ac *de-*
cet. Hæc est quasi corona Deitatis. Nam
 alias perfectiones creatæ naturæ parti-
 cipant; esse calum ac terra; viuere
 plantæ; cognoscere animantes; intel-
 ligere mentes; Potentiam robusti; Sa-
 pientiam docti; Æternitatem ea, quæ
 consistentiam habent; Infinitatem, quæ
 magnitudinem; Simplicitem, quæ
 pura sunt: Sanctitatem solam nulla
 creata natura participat, sed Gratia
 tantum, quæ est supra ordinem totius
 naturæ possibilis. Ideò Dominus in
 Euangelio *Marcii 10.* ait, *Nemo bonus, nisi*
solus Deus: nemo certè suâ naturâ. Nam
 & Seraphini, præcipui totius creaturæ,
 quod Sancti sunt, Gratiâ sunt: ideò
 tanta

CONSIDERATIO XXXII. 273

tanta cum admiratione, ac reuerentia, Sanctitatem in Deo suspiciunt, & non sine tremore proclamant: videntes magnificis fimbrijs vestimenti eius, hoc est, Gratia, qua donati sunt, quasi redundantia Sanctitatis increatae, totum caeli templum repleri. Non se capiunt Sapientissimi Spiritus, cum vident naturae suae, quantumuis excellenti, additum longè maius Gratiae decus, sine quo non decenter apparerent in templo, quod gloria Diuinæ Sanctitatis impleuit. Igitur eam tanta contentione animi sui, tanto feruore decantant, vt commoueantur superliminaria cardinum, à voce clamantium. Et tu, homo, cum semibruta natura sustines nudus comparere in conspectu tantæ Sanctitatis? non laboras, vt etiam te operiat Gratia profluens à magnifica Gloria? Eadem verò donatus non agnoscis fauorem? non omnis boni fontem collaudas ardore Seraphico? non totam caeli machinam vocibus commoues? Verè *domus repleta est fumo. Isa. 6.*

N 5

Mun-

Mundus caligat ignorantia tantarum rerum, dum non æstimat magnitudinem Gratiæ.

III. *In splendoribus Sanctorum, ex vtero, ante Luciferum genui te. Psal. 109.* Ita quidam ista verba coniungunt, ut sit sensus; Deum Patrem, ante sidera, ab æterno, ex vtero, siue intima sua Essentia, genuisse Filium, in splendoribus Sanctitatis. Ut etiam in æterna illa, & adoranda, generatione, maximè resplendeat Sanctitas; cùm sacrosancta sit. Hebræus habet; *In montibus Sanctitatis*, id est, in summa sanctitate, vel in habitatione, quam Deus habet in montibus sanctis, qui sunt perfectiones Divinæ Naturæ: omnes enim sunt excelsissime, omnes quàm sanctissime. Quanta igitur puritate colendus est?

Sed alij *Splendores Sanctorum* referunt ad præcedentia, quibus dicitur, Christum, cùm ostenderit suam virtutem ac potentiam, habiturum principium, seu principatum in splendore sanctorum, & Sanctitatis, tam propriæ, quàm

CONSIDERATIO XXXII. 275

quàm aliorum Sanctorum. Etenim Sanctitas maximè Christi principatum illustrat, quem habet in regno Gratiæ. Nam Pater vnxit eum Sanctitate Diuinæ Personæ; & eos qui secundum propositum vocati sunt Sancti, prædestinauit conformes fieri imaginis Filij sui, vt sit ipse primogenitus in multis fratribus, *Rom. 8.* & inter splendores eorum, tanquam Princeps, emineat. Hoc ergo splendore Filij Dei, hac gemma coronæ diuinæ donatos per Gratiā, quanta cura seruare conueniet, vt honori sint Principi suo? cui Rex Hispaniæ donabit gemmam pretiosissimā, decerptam è sua corona, vt eam gestet in sui honorem, eritne vnquam ita incurius, vt patiatur eam sibi excidere; aut ita insanus, vt abijciat eam vltro in mare, cum detestatione donantis adiuncta? Tam pretiosa gemma est Gratiā, vt meliorem Deus non habeat: quis non toto corpore cohorreat è sola cogitatione, quòd possit amittere? & qua pœna dignus erit, qui abiecerit, cum contume-

N 6

lia?

lia? Punitus est seruus, qui non abiecerat talentum sibi creditum, imò diligenter asseruauerat, sed absque vsura. Quanto magis merebitur priuari Gratia, qui non eam exercet, non auget, non vertit in honorem Domini sui?

CONSIDERATIO XXXIII.

Participationem Naturæ Diuinæ per Gratiam, esse quasi naturalem, & infinitam.

I. **C**ontra naturam insertus es in bonam oliuam. Rom. II. Ex doctrina S. Dionysij de eccles. hier. qui statum diuinum non accepit, is nihil vnquam eorum, quæ à Deo tradita sunt, operabitur: quia id, quod nullo modo est, nec moueatur, nec agat. Et superius dixerat, salutem existere non posse, nisi ij, qui salutem consequuntur, dij fiant. Dei porro effectio, inquit, est Dei, quoad eius fieri possit, imitatio, & cum eodem coniunctio, atque ut ita dicam, unio. Hic

CONSIDERATIO XXXIII. 277

Hic autem status diuinus, & vnio fit per Gratiā; quia tribuit homini cælestem naturam, quæ radix est virtutum, & operationum, quas per se non posset efficere. Ac propterea à S. Macario *hom. 32.* comparatur *fermento caelesti*, sine quo insipida, fluxa, & putredini obnoxia est massa nostræ naturæ: à S. Basilio *Arti.* quæ materiæ dat formam, & operationem, ad quam per se nunquam potuisset pertingere. Ita per se nunquam volasset metallum, quod Boëtius, formatum in aues, fecit volare; neque sine inditis rotulis ambulassent automata. Apostolus vtitur exemplo *rami*, qui è siluestri excisus oleastro, cum inseritur bonæ oliuæ, succum & naturam eius assumit, vt optimam pinguedinem proferat, qua, vt est in *Apolo Iudic. 9.* & *dij vtuntur, & homines.* Idem intelligi potest in *curru gloriæ.* Ezech. 1. vbi rota erat rotæ inserta, simulque mouebantur, quocunque ibat Spiritus. *Spiritus enim vitæ erat in rotis.* Quia natura humana, licet ipsa quoque

sit principium motûs, eo tamen eleuari, & moueri non poterat, quò fertur Spiritus Diuinus, nisi aliud principium motûs ei foret insertum; quod est Gratia, coniunctum habens spiritum vitæ. Sic & animalia, currum stipantia, diuersas naturas repræsentabant, terrenam leonis & bouis, cælestem ac spirituales aquilæ & hominis: vt indicaretur, pondus vnius, alterius agilitate leuari, vt in aëre suspensa, possent volare *in similitudinem fulguris coruscantis*. Pulcherrima denique figura eiusdem rei est in *muliere*, quam vidit Apostolus *Apoc. 12.* eleuatam in cælum, quæ *amictu Sole*, & stellis coronata, lunam pedibus calcabat. Ita prorsus Gratia eleuat hominem, vt indutus natura meliore, quàm Solis, contemnat quidquid mutatur, vt luna, tantùmque gloriatur cælestibus rebus: cogitationibus autem talibus fecundum animum habet, quæ ubi prodierint in opus, mox deferantur ad thronum Dei, tam gratæ ipsi, quàm graues Draconi inferno, qui pro-

CONSIDERATIO XXXIII. 279

propterea insidiabatur eisdem, sed Angelicis armis fuit repulsus.

Agnoscat homo suam felicitatem, & cum depositis peccatis redit à sacerdote, intelligat se, qui insipidus, informis, amarus, sine vita, brutus ac terreus fuerat, iam transiisse in nouam naturam. Subigat ergo propensiones priores, studeat sequi Spiritum, quo donatus est: proferat amabiles fructus nouæ radicis, ac stirpis, à qua portatur: operetur ex forma indita sibi: det saporem diuini fermenti: supra sidera collocatus, non cupiat redire in terram. Certè lumbricus è cæno translatus in cælum, & Seraphica natura donatus, nollet redire ad genitalem glebam, vt iterum volutaretur in luto. Maius tali vermiculo beneficium accepit homo in Gratia, quæ, tanquam altera natura, ipsi origo est nobilissimarum qualitarum, & actionum, quarum antea capax non erat; imò indignus propter peccata.

11. *Non enim ad mensuram dat Deus Spiritum, Ioan. 3.* Id est, qui dedit hominibus

nibus Filium suum, non parcè adme-
tietur dona spiritualia. Omnia natura-
lia sunt in numero, mensura, & pon-
dere; suosque omnia fines ac limites ha-
bent, citra quos consistunt. Sunt certi
gradus caloris igni tributi, certus cor-
poris modus homini, certi limites Na-
turæ Angelicæ. Gratia sola terminis ca-
ret, ac potest in infinitum excrefcere.
Nam & Deus ipse, cuius naturam imi-
tatur, est infinitus; & par naturæ poten-
tia, qua Gratiam quacunque data ma-
iorem largiatur; neque dependet à ca-
pacitate hominis, aut alterius causæ
creatæ concursu, qui restringat eam ac
determinet; nec denique ipsa essentia
Gratiæ definitur ullis limitibus. Quid
ergo insaniunt homines, cum infinita
cupiditate feruntur in alia, quæ finita
sunt, atque permodica; Gratia verò,
quæ bonum est omnem excedens men-
suram, exigua vel nulla tenentur siti?
considera mihi curas hominum ac desi-
deria, quibus depereunt ista, quæ mun-
dus promittit plerumque mendaciter;
ac

CONSIDERATIO XXXIII. 281

ac si dare velit, plerumque non potest,
mille impedimentis intercedentibus.
Quoties, re iam pæne confecta, inter-
uenit pro alio patronus potentior?
quoties fautorem inopinata mors au-
fert? quoties occurrunt alia, quæ non
finunt ad effectum perducì, quod affe-
ctum iam erat? sed & qui dedit hodie
congiarium, cras non amplius dabit, fa-
cultate exhausta. Quantumcunque ve-
rò dederit, non erit vlla pars cæli, sed
terræ duntaxat, in qua nullum cæli in-
star est, minima portio. Totam autem
det, frui totâ non potes: vnus hominis
corpus ornabis, vnum stomachum far-
cies, omnibus diuitijs non ses cubito
maior. Gratia incomparabile bonum,
vltra omnem mensuram, numerum, &
pondus, tibi congeritur, ac toto potes
gaudere; si esque aucto illo capacior.
Quin igitur in illam consumis omnia
studia? Præterea verò etiam illud est in
hac infinitate Gratia, vt necessitatem
inferat nobis, semper ad augmenta
rendendi, ne vnquam dicamus, *Sufficit*
mibi.

mibi, quantumcunque profecerimus. Qui dixerit, ait S. Augustinus in Ps. 69. remansit in via; non poterit pervenire: ubi dixerit Sufficit, ibi hesit. Vxor Loth iam liberata de Sodomis erat, ac Gratiam non exiguam consecuta; sed respexit imprudens: & ubi respexit, ibi remansit. Facta est, inquit S. Doctor, statua salis, ut condiret te: Exemplo enim tibi data est, ut tu cor habeas, non remaneas fatuus. Attende remanentem, & transi. Attende respicientem retro, & te in anteriora extende cum Paulo.

III. Accessum habemus per Fidem in gratiam istam, in qua stamus. Rom. 5. Gratia non tantum crescendi, sed etiam durandi finem non habet, in eo quoque imitata Naturam Diuinam. Bene autem, dicit Apostolus, in qua stamus: inquit S. Chrysost. hom. 5. Neque enim finem habet ista Dei Gratia, neque terminum nouit, sed ad maiora progreditur: id quod apud homines non contingit. Exempli gratia: Principatum quis adeptus est, aut gloriam, aut potentatum. Verum in eo, quod adeptus

adeptus est, non poterit perpetuò consiste-
 re, sed citò excidet. Et licet nemo sit ho-
 minum, qui honoris illum gradu deij-
 ciat, mors certè, quàm primum venerit,
 totum auferet. Divina verò talia non sunt.
 Ex ipsis enim nos neque quisquam homi-
 num, nec tempus, nec rerum infortunium,
 neque ipse diabolus; sed neque mors ipsa
 suo aduentu eijcere poterit: sed cùm mor-
 tem subierimus, tum demum bona ista exa-
 ctius firmiusque comprehendemus, pluri-
 busque potiemur. Quàm non iusta lance-
 res perpendimus? quæ parua & breuì
 peritura sunt, omnibus viribus conten-
 dimus assequi, infinita & æterna negli-
 gimus. Audi Tertullianum de pœnit.
 c. II. Illos qui ambitu obeunt capeffendè
 magistratus, neque pudet, neque piget, in-
 commodis animæ & corporis; nec incom-
 modis tantùm verùm & contumelijs omni-
 bus, eniti in causa votorum suorum. Quas
 non ignobilitates vestium affectant? que
 non atria nocturnis & crudis salutationibus
 occupant? ad omnem occursum maioris
 cuiusque persona decrecentes, nullis con-
 minijs

siuijs celebres, nullis comessationibus cō-
greges, sed exules à libertatis & latitiæ fe-
licitate: idque totum propter unius anni
volaticum gaudium. Nos, quod securium
virgarumque petitio sustinet, in periculo
eternitatis tolerare dubitabimus? Apo-
stolus, animaduertente Origene in
Rom. c. 6, non sine pudore nostro nos
admonet, vt hoc saltem obsequijs im-
pendamus iustitiæ, quod impendimus
iniquitati; cū deberemus longè ma-
iora, & omnia. Et ipse quidem consi-
derans, quantum esset Gratia sibi pro-
positum, quod adhuc consequi posset,
non tantum non reputabat, quantum
assecurus fuisset; sed obliuiscetur
omnino, in anteriora seipsum exten-
dens, siue enitens. Philip. 3. Enitens au-
tem is est, ait S. Chrysostr. hom. 12. ibid.
qui pedes, quanquam currentes reliquo
corpore anteuertere studens, seipsum in ea,
quæ à fronte sunt, extendit, & manus quo-
que protendit, vt etiam amplius quiddam,
ultra cursum efficiat. Hoc verò fit ex mul-
ta animi alacritate, ex multo fernore. Ita
opor-

CONSIDERATIO XXXIII. 285

oportet currentem currere, cum tanto studio, cum tanta alacritate, non pigre. Quia verò multa est lubricitas, & si cadamus, perdimus omnia, nec facile est resurgere in lubrico, subiungit insignem cautelam. Nunquam, ait, rebus lubricis innitere, & non cades: super solidis ac firmis curre. Sed &, proposita nobis re tantâ, resecanda sunt omnia alia desideria, sicut totos oculos superfluos amputamus in vite, duobus tantum, vel tribus, qui legitimi sunt, in ea relictis; sic & anima tua omnia desideria, quæ res alienas respiciunt, & pessimè concupiscunt, Spiritûs Sancti gladio, & Crucis falce debes incidere, & hoc tantum reservare, quo Iustitia cernitur;

vt monet S. Cæsarius

horn. 20.

CON-

CONSIDERATIO XXXIV.

Statum hominis, Gratia carentis, miserrimum esse.

Non descripsimus Gratiā suis coloribus; sed indicia fecimus, quibus ad cogitationem ea dignam, altiore consideratione, ducamur. Sancti Patres varijs nominibus, aliunde translatis, eam exornant. Vocatur enim ab eis Hortus, Arbor vitæ, Balsamum, Oleum lætitiæ, Adeps & Pinguedo animæ, Sal, Cibus dulcissimus & saluberrimus, Benedictio dulcedinis, Stola prima, Vestis nuptialis, Vestitus deauratus, Oculus sponsæ, Pignus Spiritûs Sancti, Pluvia, Ros matutinus, Aqua viua, Puteus aquarum viventium, Lux animæ, Sol, Iris, Ignis, Thesaurus in vasis fictilibus, Mater bonorum omnium. Quibus omnibus licet addideris alia plurima, nunquam sufficienter præstantiam eius expresse-
ris: utpote quæ non, nisi à Deo, perfe-
ctè

CONSIDERATIO XXXIV. 287

ctè comprehendatur. Talis igitur ac tanta cùm sit, intelligitur, statum hominis iusti felicissimum, peccatoris autem multo miserrimum esse. De priore nihil addemus, pauca de isto.

I. *Nōne ego vos duodecim elegi, & ex vobis unus diabolus est? Ioan. 6.* Tam miser est status hominis, Gratia Dei carentis, vt Deus ipse in lingua humana nulum vocabulum reperiatur, quo satis eum declaret. Christus in Euangelio nominat Canes, Porcos, Vulpes & Lupos: eius Præcursor Genimina viperarum, David equos & mulos, tauros furentes, aspides & basiliscos: Isaias dracones & struthiones, Ezechiel scorprios, Iob tigrides. Quia, vt Boëtius ait *lib. 4. consol. prosa 3.* quidquid à bono deficit, esse desistit: quo fit, vt mali desinant esse, quod fuerant. Et quamuis homines fuisse, humani corporis species ostendat, tamen probitate deserta humanam amisere naturam, versi in belluas: imò in Nihilum. Quia secundum eloquia diuina, peccatum Nihil est, & homines
sunt

fiunt Nihil, cum peccant: autore S. August. tract. 1. in Ioan. Quin etiam peiores Nihilo. Melius est enim omnino non esse, quàm peccare. Quia peccatum est contrarium tam rerum naturæ (præcipuam enim naturam, Rationalem, corrumpit) quàm ipsi Autori, Gubernatori, & Ultimo Fini totius naturæ; quem, quantum est in se, euertit & exturbat è Mundo. Vnde etiam Christum, vt satisfaceret pro peccato, extinguere, & mori oportuit. Cum itaque peccatum sit peius Nihilo, potiùs eligendus foret interitus totius mundi, quàm vnum peccatum: mallétque, si posset, mundus ipse non esse, quàm in se habere talem hostem sui Autoris. Denique vt Gratia hominem in gradu quodam diuino, sic peccatum constituit in Esse diabolico. Ita Dominus ipse proditorem suum, *diabolum* nominauit; non vtique substantia, sed voluntate; quia erat voluntarius dæmon, vt ait S. Chrysostomus. In Apocalypsi cap. 20. *Mors & Infernus missi sunt in stagnum ignis.* Que mors, nisi pecca.

CONSIDERATIO XXXIV. 289

peccatum? quis Infernus, nisi peccator, domicilium daemonum? Habitant enim in illo spiritus nequam, sicut in iusto Spiritus Sanctus, *Math. 12*. Et ut iusti Patrem habent in cælis, ita peccatores Christus dixit esse ex patre diabolo. Neque hoc mirum, cum sint etiam peiores diabolo. Sunt enim illo inferiores naturâ, peccato pares, aut etiam superiores. Nam ille solùm Creatorem offendit, hi etiam Redemptorem. Neque hoc tantum semel, sed sapissime: ut mirum sit eos à diabolo tolerari secum in eodem carcere, qui toties iniuriosi fuerunt in Misericordiam Dei, mirum autem non sit, eos atrociter ab eo torqueri.

II. *Abominabilem fecisti decorem tuum. Ezech. 16.* Quid erat pulcrius, quàm videre Saulem regem, ita rectum ac simplicem, sicut est puer vnius anni; Dauidem ita mansuetum, ut sine arrogantia posset commemorari apud Bonitatem Diuinam; Salomonem ita sapientem ac pium, ut toti Mundo esset

O

mira-

mirabilis? Et tales quidem fuerunt, cum essent in Gratia: at ubi hanc perdididerunt, quid foedius & abominabilius fuit illis omnibus? Saul ambitione, temeritate, peruicacia, furore, periurio, vindictæ cupiditate, superstitione, odio, rabie, desperatione, sui ipsius homicida turpissimè periit. Dauid tum in Vriam innocentem & integerrimum virum; cum in deuictos hostes, edidit ea exempla, quæ plusquam barbaræ crudelitatis, non pristinæ mansuetudinis eius speciem habent: Nam *fecit super eos tribulas, & trahas, & ferrata carpenta transire, ita vt diffecarentur & conuererentur. Sic fecit Dauid cunctis urbibus filiorum Ammon. 1. Paral. 20.* Salomon autem, ille amabilis Domino, in quantas foeditates prolapsus est, omni Sardanapalo magis vxorius, auarus, impius, ac turpissimus idololatra? Verè abominabilem fecerunt omnes hi reges decorem suum. Idem faciunt, quicunque Gratiā perdunt. Etenim pulcritudo consistit in convenientia partiū,

ad

CONSIDERATIO XXXIV. 291

ad vnum spectantium. Summa autem
in peccato est inconuenientia & per-
perturbatio, vt ratione præditus homo
ab vltimo suo Fine, & Conditore de-
sciscat, animam subijciat corpori, intel-
lectum sensui, bruto appetitui liberam
voluntatem. Monstruosum est, si quis ha-
beat partes corporis non ad vnum spe-
ctantes, verbi causa, duas manus sini-
stras, vel vnam viri, alteram infantis.
Turpe, si vnius corporis partes ordi-
nem suum perturbent; vt si pedes
manuum, nares aurium, oculi manuum,
vbera genarum locum inuaderent.
Portentosum, si diuersi generis partes
in vnum conueniant; vt si cornua bo-
uis, iubam leonis, proboscidem ele-
phanti, rostrum aquilæ, ungulam vrsi
haberet aliquis homo. His omnibus
multo deformior est ille, qui peccat.
Denique omnia illa decora, quæ dixi-
mus animæ provenire à Gratia, tollun-
tur peccato, & obliterantur oppositis
probris: quæ hîc non vberius explica-

O z

ri,

ri, sed attentè sigillatim considerari expedit.

III. *Qui autem contemnunt me, erunt ignobiles.* 1. Reg. 2. Horrendum dictu, Maiestatem diuinam contemni à quocumque. Et hoc tamen facit omnis, qui peccat. Etenim proposita illi, ex vna parte, infinita Dei bonitate, gloria, Maiestate, Potentia, pulcritudine, sapientia, suauitate, ac ceteris eius excellentijs; vnà cum innumeris obligationibus ei seruiendi, propter immensa beneficia Creationis, Redemptionis & Sanguinis Christi, nec non amicitia ipsius, & maximis præmijs, si seruauerit eius iustissimam & sanctissimam legem, ad quod offert ipse auxilium suum: ex altera parte, sitiente sanguinem ipsius diabolo, cum suis ludibrijs, & promissis in hac vita leuissimis, in altera verò supplicijs infinitis, miser, Deo neglecto præfert immanissimum hostem; & vt satisfaciat vni cupiditati suæ, eligit inimicitias exercere cum Deo, rursus crucifigens sibi metipsum Fi-
lium

CONSIDERATIO XXXIV. 293

lium Dei, & ostentui habens, exponensque ludibrio. *Heb. 6.* Homo, vilis creatura, miserijs obfita, non alium quempiam Deum, vero Deo æqualem pulcritudine, potentiâ, benignitate; sed vanissimam voluptatem præponit soli vero Deo, Optimo Maximo, summæ beatitudini, Conditori & ultimo Fini vniuersorum, Legislatori supremo, Domino Mundi, Redemptori, Patri, & Iudici suo. Heu qualis est iste contemptus? quæ ignominia? *Iterum eum interimunt, derident diuina, eludunt sancta, insultant spiritui, sanguinem sanctum veluti communem contemnunt, peccant in Mittentem, in Passum. & in Testificantem, ait S. Clemens 6. Constit. 15.*

O quali sensu animi sui quæsta est Æterna Sapientia. *Ioan. 8.* cum dixit, *Ego honorifico Patrem meum, & vos inhonorastis me?* Ego eiusdem cum Patre meo naturæ ac gloriæ, honorifico illum vsque adeò, vt vitam pro eius honore deponam, & ipse me clarificat claritate æterna, Vos autem, terra & cinis, inhonorastis

O 3

norastis

norâstis me, & tam enormiter quidem. *Obstupefcite cali, & porta eius defolamini vehementer. Ierem. 2.* Sed nunquid impune contemptum hunc ferent? Non ferent, sed *qui me contemnunt, inquit, erunt ignobiles.* Verè ignobiles, quia Deo odibiles & abominabiles, vt nullo creato intellectu comprehendi possit, quantum sit odium, quo Deus auersatur peccatum. Quantum quantus est Deus, totâ Essentiâ suâ infinita id odit: ipsâque Essentia Dei est odium peccati. Ita odit ac detestatur peccatum, vt ad eius amolitionem non pepercerit Filio suo carissimo; sed ipsemer, pro alieno peccato, voluerit eum conterere. *Isa. 53.* Non quouis modo castigare, sed *conterere* dicit. Perniciosa sunt odia ciuium, dira fratrum, periculosa coniugum, nefanda parentum & liberorum. Quo maior esse debet aliquorum vnio, quo maior est connexio ac dependentia, eo perniciosior & magis vitanda est eorum dissensio. Letalis est in corpore membrorum discordia; &

fi

CONSIDERATIO XXXIV. 295

si quid confractum, aut loco suo dimo-
tum sit, ferri non potest. Quanto igitur
magis refugienda est alienatio hominis
à Deo, à quo multo magis dependet,
quàm ciuis à ciue, frater à fratre, con-
iux à coniuge, filius à patre, membrum
à capite. Quò erupturum sit hoc diffi-
dium, vidit Isaias cap. i. *Conteret scele-
stos, & peccatores, simul: & qui derelique-
runt Dominum, consumentur.* Et ne fi-
niendam putemus consumptionem,
adiungit: *Et erit fortitudo vestra, ut fa-
milla stuppæ, & opus vniuersum, quasi scin-
tilla: & succendetur utrumque simul, &
non erit, qui extinguat.*

CONSIDERATIO XXXV.

*De modis acquirendæ, seruandæ,
augendæ Gratiæ Dei.*

IVsta illatio, si tantum bonum sit
Gratiæ, omnibus modis enitendum
ad illam. De his modis, quia in
promptu sunt integri libri, nos paucula

pro conclusione considerationum nostrarum, addemus.

I. *Quis enim est iste, qui applicet cor suum, ut appropinquet mihi? ait Dominus. Ierem. 30. Nemo certè, nisi Dominus ipse id faciat. Ideo præmiserat ibidem; Applicabo eum, & accedet ad me. Modum autem, quo fiat, per S. Concilium Tridentinum nos docet sess. 6. c. 6. Dum excitati Diuina gratia, & adiuti, Fidem ex auditu concipientes, liberè mouentur in Deum; credentes vera esse, quæ diuinitus reuelata, & promissa sunt: atque illud in primis, à Deo iustificari impium per Gratiâ eius, per redemptionem, quæ est in Christo IESU; & dum peccatores se esse intelligentes, à diuina iustitiâ Timore, quo utiliter concutiuntur, ad considerandum misericordiam Dei se conuertendo, in Spem eriguntur, fidentes Deum sibi propter Christum propitium fore: illumque tanquam omnis iustitiæ fontem diligere incipiunt: ac propterea mouentur aduersus peccata per Odium aliquod, & Detestationem: denique dum proponunt*
inchoa-

CONSIDERATIO XXXV. 297

inchoare nouam vitam, & seruare diuina mandata. O applicatio suauiſ, & effi-
cax! Nam i. ſicut Apoſtolus Hebr. II.
omnia opera Sanctorum iure tribuit
Fidei, non otioſæ ac ſopitæ, vt eſt ignis
in ſilice, calor in grano ſinapis imman-
ſo; ſed viuidæ illi & excitatæ, quæ res
diuinas in lumine cæleſti perpendit de-
bito modo: ita proſectò Diuinæ Gra-
tia negleſtus, plurimùm, ſi non vnicè,
tribuendus eſt huic incuriæ, qua, velut
ſub modio, reconditam habentes lu-
cem Fidei, omittimus ea conſiderare,
quæ in bono Gratia ſita, & cum ea con-
iuncta ſunt. Sanè qui per Fidem, accu-
rata rerum conſideratione diuitias
eius expandit, multo aliter ſe affici ſen-
tit, quam qui concluſam ſeruat in arca;
ferè vt anima, liberata corpore, longè
aliter aſpicit omnia, quàm dum pro-
ſpiceret obductis oculorum fenestris.
Nam Deus Fide purificat corda. Act. I ſ.
vt ſordibus deterſis limpidiùs omnia
videant. Viuus eſt enim ſermo Dei, &
efficax, & penetrabilior omni gladio anci-

O ſ

piti

piti; & pertingens vsque ad diuisionem animæ & spiritûs, potenter animum ipsum peruadit. *Heb. 4.*

2. Fidei beneficio ponderantem sua peccata, iustus & salutaris Timor Dei percellit; utpote cuius oculis omnia nuda, aperta, & quasi corio corticéque detracto, resupinata sint: quique Ierusalem scrutetur in lucernis, circumspiciens omnes vias hominum, & hominum corda, veluti profundum abyssi, intueatur in absconditis partes: ac præterea delinquenti non parcat, sed magno zelo zelet Sion, vix ut iusti saluentur: nemo denique eius iræ possit resistere, sed curuentur sub eo, qui portant orbem. Exclamant ergo, *Defecimus in ira tua. & in furore tuo turbati sumus: posuisti iniquitates nostras in conspectu tuo, seculum nostrum in illuminatione vultus tui. Quis nouit potestatem iræ tuæ. & præ timore tuo iram tuam dinumerare. Psal. 89.* Atque ita qui timent Dominum, præparant corda sua, & in conspectu illius sanctificant animas suas. *Eccl. 2.*

3. Suc.

3. Succedit Spes veniæ, cùm Fides oculos ad Dei misericordiam, & promissiones conuertit. Etenim tota ira, & furore suo, quem in impios simul omnes, Angelos & homines, exercuit hucusque ab initio, & in æternum est effusus, non adæquat vnum opus misericordiæ, quo nobis veniam parauit. Talia verò fecit innumera, eaque singula infiniti valoris. Et ad puniendum quidem veluti inuitus, ad miserandum autem sponte suæ infinitæ Bonitatis, Dulcedinis, Liberalitatis, aliorumque suorum Attributorum descendit: cùm Iustitia sola sit, & ipsa quoque temperetur miseratione multiplici, nec habeat instigatorem Filium Dei: nam sanguis & mors eius, non vindictam, sed misericordiã clamant; & inundante vni meritorum suorum, vndique peccatorem cingunt, quasi corona. *Dicant nunc, qui timent Dominum, quoniam in seculum misericordia eius. Psal. 117.* cùmque Deus sit, qui porrigit eis auxilia, quibus

bus emergant è puteo, confidenter manus ad eum extendant.

4. Ulterius progressa Fides, ostendit, quanta sit Bonitas Dei in seipso, qui tam bonus est erga eos, à quibus offensus est, ut eos in Gratiā, imò in regnum suum recipere velit, quasi nihil peccassent. Hinc iam purus Amor oboritur Patris tam indulgentis atque benigni: ex Amore Dolor, ex Dolo Propositum faciendi, quæcunque mandavit, ac perferendi potius omnia dira, quàm rursus peccandi. Tanta verò pietas est Optimi Patris, ut cum his animi motibus continuò, sine mora, infundat Gratiā suā, omnium, quæ diximus, bonorum parentem. O admirabilem scalam, non iam stantem super terram, & cacumine suo cælum tangentem; sed ex intimo barathro, paucis gradibus, perducentem vsque ad solium, & amplexum Dei!

II. *Pacem sequimini cum omnibus, & sanctimoniam, sine qua nemo videbit Deum: contemplantes, ne quis desit Gratia Dei.*

CONSIDERATIO XXXV. 301

Dei. Hebr. 12. Monet Apostolus, ne quis à Gratia deficiat; hoc est, in cursu consistat, vel ab ea derelinquatur. *Sic cum eis loquitur, ait S. Chrysost.* quasi numeroso comitatu viatorum longa itinera permearent; veluti si diceret; Attendite vobis, ne quis vestrum remaneat. Idem S. Ioannes nos admonet epist. 2. Videte vosmetipsos, ne perdatis, quæ operati estis. Et Apoc. 3. Tene, quod habes, ut nemo accipiat coronam tuam. Solent autem, autore S. Thomâ 1. p. q. 23. a. 6. ad 1. qui substituantur in locum alterius, etiam gaudere bonis, quæ fecerit ipse. Triste omnino, ut dum quis amissâ Gratiâ ardet in pœnis, alius, qui successit, gaudeat bonis, quæ fecit. Quid remedij aduersus hoc malum? quomodo Gratia seruanda, & augenda est? 1. Ut ex consilio Prophetæ, hauriamus cum gaudio aquas de fontibus Saluatoris, id est, è Sacramentis. In his posuit sanguinem suum, & Pretium eius; quod est Gratia. Hinc hauriendum est nobis, quo eluamus contraria Gratiæ: his, quo rige-

mus animas nostras, vt non exarescat, sed augeatur, quod plantatum est: hinc leuemus sitim sapientiæ salutaris, ac donorum cælestium: his demum aquis decoquamus pectora nostra, & affectus cordis nostri maturemus, vt sapiant Dei palato. Hoc si faciamus *cum gaudio*, sæpe faciemus ac studiosè, mirabili Gratiarum vbertate fruente. 2. Deinde quibus modis acquiritur Gratia, ijsdem augetur & conseruatur. Itaque solertium est, licet in graui peccato non sint, *frequenter obire Scalam iustificationis*, superius è S. Concilio traditam; exercendo se actibus ijsdem ad secundam iustificationem, quibus ad primam venit.

3. Laboret inprimis, qui receptus est in Gratiam, vt faciat *fructus dignos pœnitentiæ*. Fructus dignus pœnitentiæ est, transacta flere peccata, & ea iterum non agere, sed iusta satisfactione dele-
re. Nam semper deflendum est, quod semel peccauimus, exemplo Dauidis & Apostoli. Et quomodo potest fieri, vt
qui

CONSIDERATIO XXXV. 303

qui Deum verè diligit, non semper do-
leat, quòd vnquam Bonitatem eius of-
fenderit? Deinde cauendum, ne repe-
tatur peccatum. Nam *qui baptizatur*
à mortuo, & iterum tangit eum, quid pro-
ficit lauatio eius? Eccli. 34. Facillimè ve-
rò fiet, vt simili contactu se iterum in-
quinet, qui non studuerit, iuxta doctri-
nam S. Basilij *reg. 289.* funditus extir-
pare primam radicem eius peccati,
quod fecit, à qua alia eiusdem generis
pullulare necesse est; vt contentiones,
& inuidiam, ab appetitu gloriæ. Deni-
que addenda est & condigna satisfa-
ctio, quam Baruch *c. 4.* nos docet; *sicut*
fuit sensus vester, vt erraretis à Deo, de-
cies tantum iterum conuertentes require-
tis eum. 4. Infructuosas arbores Dominus
in vinea sua permanere non patitur, ait
S. Chrysost. *hom. 23. var. in Matth.* Esto
itaque homo arbusculæ tuæ valde dili-
gens cultor, vt in ea arida quæcunque
sunt, abscindantur; quæ infructuosa
sunt, amputentur; quæ fructuosa sunt,
excolantur. Pulchrè Origenes *hom. 6. in*
Matth.

Matth. Esurit IESVS semper in iustis, volens manducare fructum Spiritus Sancti in eis. Et sunt eius escæ gaudium, pax, patientia nostra, & reliqua. Quæ quidem quàm diu fructificamus, non arescimus. Si autem venienti Domino, & querenti huiusmodi fructum, ut manducet, in nobis non exhibuerimus, dicet ad nos; Nunquam ex vobis fructus nascatur in sempiternum. Quæ autem arbor Creatori suo, ac Domino, esurienti non offeret optimum fructum, quem potest, aut etiam meliorem, quàm ferat eius natura, si huius ei copia fieret? sanè ingratus est homo, qui, cùm in promptu habeat, esurienti Domino non apponit optima quæque. Non igitur acido & siluestri fructu, non cibario pane, vulgarium operum, pascet eum, qui volet in eius Gratia crescere; sed præclaris, & heroicis operibus, præsertim Charitatis eum studebit reficere. Maximè connaturalis Gratia fructus est Charitas: maximè dulcis & suavis palato Domini. Nouit hoc Sponsa, quæ dicit Cant. 8. Dabo tibi poculum

CONSIDERATIO XXXV. 305

ex vino myrrha condito. & mustum malorum granatorum meorum: succum suauissimum è gemina Charitate expressum in torculari laborum, qui instar musti ferueat & ebulliat. Nam ex operosa charitate generosior potus est. Gratissimus odor, ac sapor vino Charitatis accedit à myrrha. Aduersis probatur affectio; pensatur periculum, pœnis examinatur dilectio; morte charitas perfecta declaratur, ait S. Chrysoft, ser. 6. de Pass. Sed obstat, inquis, magna conflictatio cum dolore. Et hunc amoris igne vinci, docet S. Augustinus l. 1. de morib. Eccl. c. 22. Nisi verò amatores auri, amatores laudis, amatores feminarum, amatoribus suis Deus sinat esse fortiores; cum ille non amor, sed congruentius cupiditas, vel libido nominetur: in qua tamen apparet, quantus sit impetus animi, ad ea, quæ diliguntur, indefesso cursu, per immania quæque tendentis. Et argumento est nobis, quàm omnia sint perferenda, ne deseramus Deum, si tanta illi, ut deserant, perferunt. 5. Denique nec ea prætereunda, quæ monuit

monuit hîc Paulus, vt *Pacem* sequamur,
 & *Sanctimoniam*. Per hanc S. Greg. Naz.
in iamb. intelligit consuetudinem & fa-
 miliaritatem cum Deo : vnde vires o-
 riuntur ad Pacem, seruandam inter
 quæcunque. Pax autem est, quæ animi
 perturbationem expellit, & æquabili-
 tatem quandam in omni vita largitur.
 Huius duplicem fontem ostendit San-
 ctus Diadochus *cap. 74.* Alterum ab ani-
 ma profluentem, quando multis vitæ
 huius sollicitudinibus confusa, seipsam
 cognoscens exardescit in Deum. Alte-
 rum Spiritus Sanctus cordi infundit,
 cùm omnes animæ partes ad deside-
 rium Dei inuitat, & immensa quadam
 charitate ac gaudio totum hominem
 delectat. Quem calorem, vt ipse vocat,
 agnoscere oportet, cùm venit, & vt ve-
 niat, anhelare. De eodem *cap. 35.* sic
 scribit ; *Sicut mare, cùm turbatur, oleo in-*
fuso, cedit naturâ suâ tempestas, lenitate
olei procellam extinguente. Sic anima no-
stra, cùm lenitur gratiâ Spiritûs Sancti,
incunde tranquillatur. Cum gaudio enim
cedit

cedit victa ipsius gratiâ, sicut ille Sanctus ait: veruntamen Deo subiecta esto anima mea: victa inquam Spiritus Sancti gratia, quæ illam inexplicabilis suauitatis umbraculo tegit. Quam nulla dæmonis irritatione ait posse turbari. Atque huic Pacis & familiaritati cum Deo, qui studet, næ ille experietur ad Gratiam, siue conseruandam, siue augendam, plurimum esse in eis momenti.

III. *Spiritum nolite extinguere. 1. Thess. 5.* Commendatur hîc 1. *Puritas vite.* Nam vt S. Chrysost. ait, *Gratiam exstinguit vita immunda.* Omnibus ergo modis vitanda labes quæcunque, tametsi non letalis; vt quàm pura est pupilla oculi, tam sit vita hominis Christiani; & sicut, salua intuitus incolumitate, pulueris labem in se oculus non recipit; sic etiam vita nostra non habeat: ait Saluian. l. 3. *de prouid.* Nam & per se repugnat, vt apud quem cupias in Gratia crescere, eum passim sciens prudens offendas; & lapsus isti, vt S. Chrysost. hom. 87. in *Matth.* aduertit, *grada.*

gradatim semper ascendunt, vt, si radicem non euulseris, magnum inde peccatum succrescat. Iob. c. 4. vbi nos habemus, Tigris perijt, LXX. interpretes legunt Formicoleonem pro Tigri, qui est araneus formicis insidians. At S. Nilus ait, à lobo ideo vocabulum ex leone & formica compositum esse, vt indicaret cupiditatum & vitiorum insidias. Nam à tenuibus incipiunt, more formarum sensim rependo; paulatim tamen in eam crescunt magnitudinem, vt cui-libet non minùs, quàm leones, terrorem atque periculum afferant. Quamobrem, inquit, oportet, vt strenuus pugil tunc cum cupiditate luctetur, cum accedens veluti formica vilem escam suggerit: nam si leonis magnitudinem & robur assecuta adoriatur, maximà cum difficultate superabitur. Sed & si non crescant, multiplicatæ formicæ sunt pestis hor-torum & arborum: igitur crebræ contritionis odore sulfureo pellendæ sunt.

2. Autore S. Chrysostomo, sicut lux in lucerna extinguitur, si terram aut
 aquam

CONSIDERATIO XXXV. 309

aquam iniicias, aut eam non defendas à ventis: ita, inquit, si terrena & disfluentium rerum curas insperseris, spiritum exstinguis: aut si foramen non obstruxeris, aut ostium non clauferis, pereunt omnia. Est autem quoddam foramen, sicut in lucerna, ita in nobis oculus, & auris. Igitur custodiam cordis ac sensuum docet hic Pater: medium sine dubio potens, ad Puritatem cordis, Gratiámque seruandam. Inaccessibilem te ipsum custodi & verbo, & opere, & vita, & cogitatione, & motu, atque impulsu. Undequaque prauus ille spiritus te perscrutatur, & explorat, ubi feriat, ubi vulneret; num quid nudum & aperitum reperiatur, plage obuium, ait S. Nazianzenus orat. 31. 3. Sed & illud curandum, ne flamma sit tenuis. Nam vehemens nec ventis cedit, nec se facile finit obrui. Magno itaque Fervore est opus. Hunc Fides meditando excitata sustentat. Exardescit enim meditatio-
ne rerum, quas Fides nos docet. Refrigeratur autem, cum sensuum præstigijs incitati Affectus, à veris bonis fugien-
tes,

tes, feruntur in apparentia; territique minoribus, at præsentibus incommo-
dis, rapiunt in futura & maxima. At-
que ita omnia, non ut sunt in se, sed ut
videntur; *in imagine, pertransit homo,*
Pf. 38. dum, tanquam in somnio, amat
ac timet ea, quorum non res, sed species
tantum versatur in eius capite, *Psal. 75.*
ac tanquam inebriatus de vino prosti-
tutionis Babylonice, sequitur insanias
falsas, *Apoc. 17.* tanquam phreneticus
terretur colubrorum imagine; tan-
quam agrotus, infecto palato, mel ha-
ber pro aloë. Denique omnia diuina
sensus homini refert sub aliena, rerum
corporearum, figura. Hinc tam peri-
culosa à ratione secessio. At in luce Fi-
dei, per considerationem diffusâ, *Præ-*
terit figura huius mundi, I. Cor. 7. & ima-
ginem ipsorum, sensuum, Dominus ad
nihilum redigit. Psal. 72. Quia manife-
stum fit, rerum fugacium formis nul-
lum corpus subesse; diuinis autem alie-
nas, & cauas figuras prætexi, à sensibus,
& affectibus; celatâ, quæ est in eis, sub-
stantiâ

CONSIDERATIO XXXV. 311

stantiâ solidissimâ. Hinc animo calor ad aspernandas temporalium, quæ vocantur, rerum imagines; & ad prosequenda omnibus exemplis ea, quæ solida, vera, & æterna sunt. Atque ita *iustus ex Fide vivit. Rom. 1.* Quæ panis veritatis Divinæ alit eum, & roborat, inflammat & animat. O Pater æterne, panem hunc supersubstantialem da nobis quotidie, ut eius virtute semper maneamus, & procedamus in sanctâ Gratia tua, usque ad montem Horeb.

CONSIDERATIO XXXVI.

De signis Gratiæ & Perseuerantiæ.

I. **Q**Uapropter, fratres, magis satagite, ut per bona opera certam vestram vocationem, & electionem faciatis. Hoc enim facientes non peccabitis aliquando. Sic enim abundanter ministrabitur vobis introitus in æternum regnum Domini nostri. 2. Pet. 1. Multos ea sollicitudo premit, an sint in Gratia: sed
non

non vna est omnium ratio. Nam alij sunt mentis ignauæ, qui, cùm norint, se nunquam satis obsequi Deo, opportunè importunè ipsis instanti, vt satagant suæ salutis, meritò tanguntur hac cura, Angelo Custode stimulos admouente, vt vel sic tandem adacti, Deo ad meliora perfectioraque vocanti dent manus. Atque vtinam talium non in omni conditione, ac statu sint plurimi! Quotus enim quisque est, qui studeat explere partes officij sui; qui non resiliat à culmine perfectionis ostensæ sibi, ac pæne iam datæ; qui maximos animi prouentus non negligat, detentus haud rarò nugis nugarum? Vt meritò multi solliciti esse possint de statu animæ suæ, ac dicere cum Dauide, *Psal. 118. Amputa opprobrium meum, quod suspicatus sum.* Magnum sanè opprobrium, si quem, ex vocatione sua, & multiplici adminiculo, Gratiâ Dei cumulatum esse oportet, contingat eâ forsan excidisse, aut in propinquo esse, vt excidat? cuius rei tanta sæpe sunt argumenta, vt non tantum

CONSIDERATIO XXXVI. 313

cum suspicioni sit locus, sed iustæ formidini. Alios verò probæ mentis, cum pro viribus allaborent Spiritui Sancto, nonnunquam tamen ea cura incessit, an etiam Deo sint grati. Atque hoc vel naturali ex pusillanimitate, vel ex dispositione Dei, pro maiore animæ bono, præsentiam aliquando suam celantis; vel denique ex ingenua charitate, sibi ipsi non satisfaciente, & magis magisque Deo placere, ac grata obsequia præstare optante. His etiam consilium à principe Apostolorum allatum sufficeret, ut satagant per bona opera certam facere suam electionem, omni sollicitudine sua proiecta in Deum, cui certum est omnia bona placere. Hoc enim facientes non peccabunt aliquando, & ius eorum ad introitum regni æterni abundantius fiet. Atque hoc modo, cum certa in seipsa fuerit eorum electio, nihil ut ex parte sua desiderari patiantur, quod necessarium sit; non attinet ipsos etiam de illa fieri certiores, aut Deum à lege sua recedere, qua iudicavit.

P

dicaui

edicauit nobis expedire, vt securi non
 simus, & hoc funiculo charitatis iden-
 tidem ad meliora ducamur. Et verò
 meretur hoc eius dignitas, vt ipsi cre-
 damus tantisper, qui fidelis, & potens
 est depositum nostrum seruare in illum
 diem, & neminem in se sperantem finit
 confundi: quique ita nos coronat im-
 misericordia & miserationibus, vt ope
 sua multiplici præueniat nos, & comi-
 tetur, & subsequatur. Estque hoc
 ipsum tenerioris argumentum amoris,
 nolle fieri certiorum de tuis rebus, quia
 malis ab eius dulci & sanctissima vo-
 luntate totus pendere, in tempore, &
 æternitate: sicut ingenuus filius non
 est sollicitus de patrimonio suo, sed de
 obsequijs patri præstandis, certus ei cu-
 rare se esse. Ita S. P. Ignatius maluit, si
 Deo placeret, incertus de sua salu-
 te morari in terris ad eius obsequia,
 quàm, certus vt esset, absolui citò à cor-
 pore. Et alius apud Ludolfum *de vita*
Christi p. 2. c. 50. cum audisset, reuela-
 tam esse cuidam diuinitus damnatio-
 nem

nem suam, respondit; Benedictus sit Deus in omnibus. Ego nihilominus non desperabo, sed duplicabo, ac triplicabo poenitentias & alia opera bona, quæ coepi, donec misericordiam consequar à Deo, qui pater est multo piissimus.

II. *Quoniam tu, Domine, singulariter in spe constituisti me. Psal. 4.* Incertum quidem est nobis, an simus in Gratia. Quia, ut S. Augustinus ait *de corrept. & grat. c. 13.* id occultari opus est in hoc loco, ubi sic cauenda est elatio, ut etiam per sancta Angelum, ne extolleretur, tantus collapsizaretur Apostolus. Et mox, *Illa præsumptio in ista tentationum loco non expedit, ubi tanta est infirmitas, ut superbiam possit generare securitas.* Nihilominus tamen humana quædam, & moralis certitudo non obest, sed omnino procuranda est nobis. Quod tum fiet, cum ea, quæ ad instaurandam, ac seruandam Gratiā requiruntur, fecerimus, pro virili nostra lumen vultus diuini, quod super nos est signatum, sequendo. Qui.

bus rebus eousque certitudo succrescet, ut interdum excludat omnem formidinem actualem oppositi; maximè si intima quædam lætitia cælestis addita fuerit. Tunc enim cum Regio Vate dicemus; *In pace, in idipsum dormiam, & requiescam.* id est, animo tranquillo simul me ad somnum componam, & quietissimè dormiam, omni sollicitudine Deo relicta; qui singulariter in spe constituit me, ut habitem in ea, velut in tutissima domo.

III. *Benedictus Deus, qui non amouit orationem meam, & misericordiam suam à me.* Psal 65. Sufficiet nobis hoc vnum pro signo Perseuerantiæ, ut alia passim enumerata hîc repetere opus non sit. *Cum videris*, inquit S. August. *non à te amotam deprecationem tuam, securus esto, quia non est à te amota misericordia eius. Quamdiu ergo hîc sumus*, ait idem, *hoc rogemus Dominum, ut non à nobis amoueat deprecationem nostram, & misericordiam suam, ut perseueranter oremus, & perseueranter misereatur.* Non enim
opor-

CONSIDERATIO XXXVI. 317

oportet, ait Sanctus Diadochus cap. 97.
quandoque quidem orare, quandoque ve-
rò non eos, qui volunt tabernaculum suum abij-
cere; sed potius dare operam orationi sem-
per, in custodia mentis. Perseueremus
igitur in oratione, qua petamus hoc
tam singulare Perseuerantiæ donum,
& de obtinendo ipso timendi locus
non erit. Et ut Sanctus Hieronymus ad
eundem Psalmum addit, Suppliciter Do-
minum deprecemur, ut aperiat aures suas
ad preces nostras, & ipse nos, data pecca-
torum remissione, de presentibus arumnis
eripiat, sibi que holocaustum purum effe-
ctos, mactatis vitijs, Sanctorum agmini-
bus iungat. Amen.

CONSIDERATIO XXXVII.

*De sublimitate & magnitudine
animi humani oriundâ ex
Gratia.*

Tantum experimur in animo no-
stro celsitudinem, ut licet virtu-
tem, bonitatemque non habeat,

omnibus tamen modis habere se flagat, ac videri velit; hoc ipso demonstrans, eum sibi defectum non congruere. Nullum certè malum naturæ, vel fortunæ, culpæ vel pœnæ, vel horum opinionem, suspicionemque nobis conuenire putamus: & ea, quæ declinare non possumus, vt honesta laudamus; vel non merito nostro, sed iniuriâ fortunæ nobis euenisse, conquerimur; ne viliores inde ducamur. Vitiis illorum, quæ alicuius excellentiæ speciem habent, vt superbiæ & inuidiæ, non ita nos pudet, licet grauiora sint, vt aliorum, quæ nos ad communionem brutorum abijciunt. Nullum autem bonitatis genus, adiumentum, aut signum, vt sunt opes, & honores; ne ipsam quidem diuinitatis opinionem, satis æquo animo patimur aliquando nobis abesse. Quemadmodum frenanda est hæc gloriæ falsæ cupido, neque extra Deum querenda apotheosis, ac deificatio: ita celsitudo animi negligenda non est, sed fouenda & excolenda,

CONSIDERATIO XXXVII. 319

colenda, vt par est. Oritur enim è nobilitate ipsius, qua superior omnibus ad imaginem Dei factus est, vt, per sanctificantem Gratiā, fiat Diuinæ confors Naturæ, & felicitatis. Hinc maximis ornatum donis, Deus munivit Angelorum præsidio, optimis præceptis instruxit; tantòque in honore habuit, vt etiam turpissimè rebellantem dilexerit, & assumptā eius naturā, fecerit passusque sit pro eo miranda; Corpore illum suo, & Sanguine reficiat, adoptet in filium, & magna cum reuerentia de illo disponat. Huius tantæ nobilitatis perficiendæ, præter spiritum in corpore lucidum, purumque cælesti panis substantiæ similem, cum Gratia, Virtutum ac donorum Spiritus Sancti, vt supra diximus, instrumenta homo accepit, vt eorum adminiculo pulcherrima opera proferendo, ad plenam felicitatem, ac finem suæ dignitati destinatum accedat, ex omni parte, quantum potest, ornatus similitudine Dei. Cuius Generositatis hîc, pro complemen-

to Considerationum nostrarum, ad-
scribemus tres gradus.

I. Gradus est, quo homo suæ sibi di-
gnitatis conscius, *vitat omnia, quæ vilem
ostendant atque degenerem: qualia sunt
vitia, Veritati, Moderationi, Libertati, &
Humanitati contraria.* Vnde 1. *studet
omnia, quæ potest, intellectu penetrare;*
nam, ut etiam Tullius ait, in scientia
excellere pulcrum, labi & nescire tur-
pe ducit; fallere & simulare turpissi-
mum. Ad agendorum consideratio-
nem tempus ac diligentiam sumit: eo-
rum autem, quæ natura contemplatio-
ni exposuit, perfectam notitiam con-
sequi studet: ab alijs dicta, ad ipsum
rerum originale examinat & emendat,
nihil aspernando, sed laudando studio-
sus eorum conatus. Neque se efferen-
do; quia scit multo plura ignorata ma-
nere. Quæ Deus de suis nosse nos vo-
luit, suscipit magna cum reuerentia,
2. Libidines, ingluuiem, & *quidquid
molle, delicatum, intemperans; ordini,
venustati, decoro suæ personæ, com-
muni*

CONSIDERATIO XXXVII. 321

muni ac propriæ, minùs conueniens,
auesatur, velut indignum animo diui-
 norum particeps. 3. Quæ *seruilia*, vt ti-
 mere, angi, perturbari, adulari, *longè*
vilissima putat. Vbiq̃ue ad principatum,
 eminentiam, & victoriam, rerum hu-
 manarum contemptu, animique liber-
 tate & tranquillitate aspirans. Maio-
 res laudat & æmulatur, nulli inuidet.
 Aduersa fortiter tolerat, & vitam te-
 merè non proijcit, etiam prouocatus
 iniurijs: gnarus magnos labores ac fa-
 cinora sibi congruere, donec plena li-
 bertate fruatur, absolutus & euocatus
 à Deo. Cuius amicitia fretus, vbi-
 que constantem ac fortem se præ-
 bet: nec bonis, quæ sibi obueniunt, im-
 parem se ducens; nec malis succum-
 bens, sed vtens tanquam virtutis mate-
 riâ. Nec si inhonoretur, mærebit, aut
 vlciscetur, sua sibi Deique conscientia
 latus: imò per excelsitatem animi, bo-
 na reddet pro malis. 4. *Omibus bene*
cupit, facit, ac dicit: nullum despicit,
 odit, læditur: omnes pro meritis co-

P 5

lens

lens, ut imaginem Dei ferentes. Omnibus mansuetus, hilaris, liberalis, facile credens, indulgens. Neque cum eget, dedignatur beneficium rogare, & accipere, velut eo dignus; nec si accepit, se obligatum agnoscere: quia id ipsum est ingenuæ mentis. Equabilem se omnibus præbet; siue ijs præponatur, colendo eos, ut fratres minores, quibus uti maior sit præfectus, ut eos ornet atque defendat: siue subdatur, eos obsequando & obediendo, non ex timiditate, vel adulatione; sed quia sibi tanquam communitalis membro sic convenit: nihilo viliorē se reputans, sed optimum suo in loco, si eum virtute servarit. Rempublicam, in qua degit, pro sua parte, quantum potest, augere, & meliorem studet relinquere: de quo toto genere humano, si potest, quovis impendio satagit bene mereri.

II. Gradus est, quo in qualibet virtute, quod summum est, expetit. Nam i. in rebus agendis aciem intendit ad media directissima, & maximè propria: in artibus

CONSIDERATIO XXXVII. 323

*zibus ad solertissima : in dubijs ad pun-
ctum difficultatis : in contemplatione
naturalium ad intimas rerum fibras, & al-
tissimas causas : in divinis ad intellectum
Spiritus Sancti, & gustum sapientiae : quæ
puritate cordis consequitur maximè.
2. In fortitudine ad acerbissimi cuiusque
Martyrij robur se exercet, vt omni ille-
cebra & dolore superior fiat. In Tempe-
rantia sectatur gratiam, & puritatē An-
gelicam. Pro aliorum salute omnes corpo-
ris & animæ vires insatiabili dilectione
impendit, vel simul, si ita res ferat; vel
paulatim in laborum acerra, quasi thus,
adolet : maiora semper habens in vo-
tis, Xauerianum in modum. 3. Omnia,
quæ Deus dixit, vel gloriose de eo dicun-
tur, facile credit, vt qui longè maxima,
& infinita, de ipso conceperit animis.
Omnia ab ipso promissa sperat consequi,
si vel ita expediet, vel se ipse ad ea ritè
parauerit. Illum omni deuotione & reue-
rentia colit, infinitis obsequijs dignum
intelligens. Denique nihil omittit eorum,
quibus Amicitiam Dei conseruet & au-*

geat; quidquid est, & habet, alacriter impendendo. 4. Neque genera tantum virtutum, sed & *Motiva summa* sectatur, *modosque* agendi. Ea summa existimans, quibus plus obsequij Deo grati præstari sentit, etiam si naturâ suâ minora sint. Vt quid enim maiora, si non perinde sint grata?

III. Gradu, quia neque Diuinæ dignitati, neque rerum propositarum sibi magnitudini, neque desiderio suo, videt contentione suprâ dicta vndique satis fieri; & medium aliud non inuenit, quàm vt in omnibus à solo Dei nutu regi, mouerique se finat; maximi faciens, si mereatur assumi pro instrumento Summi Imperatoris, præcipuè curat i. vt sagaciter *omnem Dei nutum* obseruet, ac si fieri potest, intimum eius animi sensum in re quacunque perspiciat: seipsum autem ita compositum habeat, vt quouis momento, ad omnem Spiritûs Sancti motum, & insinuationem aptus promptusque sit. Quam ad rem iuuatur mirificè peritia discernendi

di motus internos, usu bene eligendi, & examine actionum suarum perquam diligenti. 2. *Sensum autem animi Divini assequitur*, præter institutionem Ecclesiæ, tum *familiaritate* quadam & usu cum Deo, cum profunda consideratione eorum, quæ dixit fecitque: & eorum, quæ in gubernatione mundi, & electorum suorum quotidie innuit. *Inspectione* denique *cordis Christi*, & Sanctorum, accuratâ confirmat.

Concludamus omnia verbis S. Diadochi *cap. 89.* ubi, cum dixisset, *Gratiam Dei*, ut primum venit in animam, renouare quidem statim cunctas animæ lineas, ut imago Dei, omnibus peccati rugis detractis, in ea splendeat; perfectam verò, quæ obtineri potest, similitudinem Dei non statim largiri, sed nostra cooperatione paulatim perfici; addit. *Cum igitur mens cœperit multo sensu suauitatem Dei gustare*, scire nos oportet, tunc *Gratiam* incipere veluti depingere in imagine similitudinem. *Ut enim pictores primum quidem uno colore figuram*

ram hominis depingunt, postea verò colorem colori paulatim imponentes, speciem similitudinis picturæ usque ad capillum observant ad exprimendum. Sic Dei gratia, primò quidem hominem, ad imaginem Dei factum, in eum statum, qui prius erat, cùm factus est, per baptismum concinnat & aptat: cùm autem videt, nos toto animo pulchritudinem Similitudinis concupiscere, statèque in officina sua nudos, ac nullius rei admiratione captos, tunc virtutem virtuti addens, instar florum, speciemque animæ à splendore in splendorem transferens, formam Similitudinis Dei ei adhibet: ita ut sensus quidem declaret, formari nos secundum similitudinem, perfectionem verò similitudinis ex illuminatione cognoscemus. Quam illuminationem fieri docet charitate perfectâ, tanquam florido illo colorum, qui additi imagini similitudinem picturæ per omnia servant, in imitanda etiam specie subridens. Nam, ut ait in ijs, quos Divina Gratia ad Similitudinem Dei depingit, illuminatio Charitatis addita declarat, eum,

qui

CONSIDERATIO XXXVII. 327

qui ad imaginem Dei factus est, esse ex
omni parte Similitudine Dei decoratum.

Et mox: *Quamobrem renouatur quidem
homo interior, de die in diem, gustu chari-*
tatis: impletur verò, cum hac perficitur.

Amen, Domine IESU; perficiatur
Charitas in omnibus; adueniat regnum
Gratiæ, ut ipsa sola dominetur in cor-
dibus omnium hominum, ac tu pro-
missum tibi à Patre, dignumque Pas-
sionis tuæ fructum recipias.

Audimus te quotidie rogantem, in
libro Soliloquiorum tuorum cum Pa-
tre, ut saluum te faciat, *quoniam defe-*
cit Sanctus, diminutæ sunt veritates à fi-
lijs hominum. Psal. II. Verè magna &
gravis miseria, qua liberari te cupis;
quoniam defecit Sanctus. Tu dedisti te-
metipsum, ut mundares tibi populum
acceptabilem & sanctum: nemo debe-
ret esse super terram, qui Sanctus non
esset: & tamen impij in circuitu, cir-
cumquaque obambulant, & Sanctus
defecit. Pauci sunt, qui Gratiā tuam
quærant, & æstiment; pauciores, qui ad
eximia

eximia incrementa perducant. Nimirum *diminuta sunt veritates à filiis hominum*: ea, quæ de necessitate ac præstantia bonorum tuorum dicuntur, excidunt ab animis eorum, vel ita tenuiter cognoscuntur, vt nullam vim habeant.

Ab hoc malo, Pater Æterne, liberari se cupit Filius tuus dilectus. Hoc à te præmium petit obsequiorum suorum: hoc vnicum solatium laborum suorum. *Fiat, inquit Psal. 118. misericordia tua, vt consoletur me secundum eloquium tuum*; secundum magnificam promissionem tuam, per os Prophetarum factam à te sibi Filio & seruo tuo. *Veniant mihi, ait, miserationes tue, & vitam*, quia lex tua meditatio eius est: nec aliud quidquam cogitat, quàm vt impleatur lex, & pactio, quam tecum inuit. Exprobrant ei inimici, quòd tanto labore, tantis sudoribus & clamoribus, tam paucis persuaserit, vt Gratiā tuam anteponant rebus caducis. Orat itaque, vt veniat super se misericordia tua, Domine, salutare tuum,
 Gratia

CONSIDERATIO XXXVII. 329


Gratia tua, vt possit respondere exprobrantibus sibi, quòd sperauerit in sermonibus tuis, quibus ei pollicebaris, daturum te ei omnes Gentes, quascunque fecisti, vt vnicum tandem floreat regnum Gratiae, extirpato peccato. Eia, Pater Sancte, qui semper audis Filium tuum, quia etiam ipse semper facit, quæ tuæ Maiestatì placita sunt; exaudi eum, vt veniat regnum tuum, seculum sanctum, & omnes homines in sanctitate & iustitia tibi seruiant, nullo excepto.

F I N I S.


*Omnia in laudem gloriæ Gratiae
suae, in qua gratificauit nos
in dilecto Filio suo.
Ephes. i.*


Errata sic corrige.


- Fol. 84. v. 11. corde suo, lege, in corde suo.
f. 103. v. 6. decisa lege, denia.
f. 112. v. 5. quanta hoc, lege, quanta hac.
f. 144. v. 5. immensa esset, lege, immensa vi esset.
f. 161. v. 4. concitarentur, lege, comitarentur.
f. 163. v. 12. penetrari possit, lege, penetrari non possit.
f. 174. v. 1. disrumpit, lege, disrumpat.
f. 191. v. 9. constituere, lege, constitutos.
f. 203. v. 1. pro eo, tantum, lege, pro eo, quod tantum.
f. 220. v. 19. hic, lege, tui.
f. 228. v. 10. in unum, lege, id unum.
f. 262. v. 9. & Deitas, lege, est Deitas.




















Th
2749